M. M. VON BAUMHAUER

DE

Aristotelis Vi

IN

CICERONIS SCRIPTIS.

DISQUISITIO CRITICA

DE

Aristotelia Vi

IN

CICERONIS SCRIPTIS.

DISQUISITIO CRITICA

DE

Aristotelia Vi

IN

CICERONIS SCRIPTIS,

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

J. C. SCHWYGHUISEN GROENEWOUD,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

In Academia Rheno-Trajectina,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

MARIA MATTHAEUS VON BAUMHAUER,

BRUGIS NATUS,

A. D. XVII M. MAJI, A. MDCCCXLI, HO[illegible]

TRAJECTI AD RHENUM,
TYPIS MANDAVIT N. VAN DER MONDE,
MDCCCXLI.

Aristotelio *more in disputatione ac dialogo.*

Cicero.

GUIL. THEOD. VON BAUMHAUER,

PATRI CARISSIMO

S. P. D.

MARIA MATTHAEUS VON BAUMHAUER,

Tandem laetus ille mihi dies affulget, quo, a carceribus stadii mei literarii in hac Academia, ad calces pervenisse videor. Quoties in exacti certaminis memoriam recurro, toties Te cogito, optime Pater! et quid Tibi debeam reputo. Egone igitur hoc die obmutescam, nec grato animo praedicem, quantulacunque tandem praestiti, ea tuis assiduis curis, tuae sollicitudini me debere unice? Tibi, qui nil antiquius liberorum tuorum institutione habere solebas, qui, hanc ut regeres, quamvis saepe innumeris laboribus distractus, satis semper otii, vigiliis adeo tuis, inveneris, ut nobis discentibus quotidie adesses et juvenilia studia tuâ auctoritate moderarere?

Singulare agnosco Dei beneficium, quo Ipse egregia Wyttenbachii *disciplina non tantum liberaliter educatus, sed adeo sub hujus quasi tutela Academica tua spatia auspicatus, quae per septem fere annos ex summo illo Viro profeceris, quoscunque fructus inde perceperis, nobis tradere, ad ejusque praecepta nos informare, Tibi gratum acceptumque fuerit; ita ut, licet aliquando me tardiorem ad discendum fuisse haud negem, Te tamen studiorum meorum auctorem vocare, tuaque in me collata beneficia, opportunitate oblata, recolere, pietatis gratissimum semper officium mihi sit futurum.*

Peracta puerili institutione, cui Vos, Carissimi Parentes! Soli invigilastis, me, imbutum optimis sensibus, in egregiam Niemeieri *disciplinam tradidistis, qui, quamvis senex, benevolentiam, qua Te, dilectissime Pater! antea erat prosecutus, in me transtulit, meque puerum, dum licuit, per anni fere spatium, quotidianae suae consuetudinis consortem esse voluit. Quum vero optimus ille Vir, inopinata morte Suis ac discipulis ereptus, gravissimum sui relinqueret desiderium, vinculo, quod Te cum Gymnasio Halensi conjunxerat, tum prorsus dissoluto, me rursus in paternum focum recepisti, privataeque doctissimorum Gymnasii Bruxellensis Praeceptorum institutioni commisisti. Ab hoc inde tempore egregie quoque valuit ad artium elegantiorum amorem in me excitandum,*

excitatumque magis excolendum, *Cl.* Karstenii *doctrina, qui per biennium, tam Graecae, quam Latinae linguae elementa mihi tradens, juventutis errores summa cum animi moderatione ferens, monitis suis placidaque docendi ratione, quae ardua in omnium linguarum rudimentis esse solent, quoad ejus fieri poterat, removit, meque ex disciplina in amicitiam suam traduxit. Tantorum beneficiorum haud immemor, ex animo, tam Viro Cl., quam mihi ipse gratulor, quod, emelitis fere Academiae spatiis, eum, amplis honoribus auctum, in Academia Rheno-Trajectina conspicere, Praeceptorumque numero denuo accensere mihi liceat. Accipiat V. Cl. gratissimi animi significationem, quod me, ex ejus librorum copia saepius, quibus opus esset, flagitantem, benigne semper exceperit, jamque edita Dissertatione molestissimum mendorum, quae superessent, notandorum opus suscipere haud recusaverit.*

Quum ante hos undecim annos rerum novarum studium, quod in meridionali regni nostri parte exarserat, me a regia, in quam me deduxeras, via divellere videretur, tua prudentia, tua caritas, huic calamitati optime subvenit meque Gymnasii hujus civitatis, inclytae Musarum sedis, Praeceptoribus commisit; quibus praestantissimis Viris me magistris esse usum adhuc laetor, eorumque doctrinae copia me magis excultum ad Academica studia accessisse, libentissime profiteor.

H e u s d i i *fama, quem inter* W y t t e n b a c h i i *discipulos inclarescentem noveras, ad cujus merita jam tum communis Praeceptor Te advertere solebat, tantam apud Te vim habuit, ut, quamvis aliorsum publica tua munera Te traherent, molestias tamen sexcenties iterati itineris, per quinquennium adeo, perferre malueris, corporisque valetudinem periclitari, quam nos, vel egregia hac opportunitate, vel tua praesentia tuisque consiliis, frustrari. — Quam prudenter verae nostrae felicitati consulueris, tum demum rite percipere coepi, quum, per novem fere menses gravissimi morbi vi, tam corporis languore, quam, intermissis studiis, animi aegritudine fractus, tuis assiduis curis, tuisque paternis consiliis, post D. O. M., Cui satis gratias agere non possum quod tam mirifice ex hoc summo vitae discrimine me servaverit, maxime me debere sentiam, ut cum corporis viribus etiam pristina animi alacritas revocaretur.*

Cum igitur Te semper, quibuscunque Praeceptoribus me tradideris, maxime vero postquam sors Tibi obtigit domesticis laribus quasi reddi, studiorum meorum habuerim moderatorem, tua vero maxime copia ac familiaritate fortunate mihi cesserit, non tantum publicis H e u s d i i *praelectionibus interesse, sed etiam adscribi eorum numero, qui ejus privatae institutionis, una in paucis expetitae, e qua quantos fructus, quantam voluptatem discipuli perceperint dici vix potest, singulari munere gauderent; duplice, pietatis*

erga Patrem, grati animi erga Praeceptorem, officio fungi mihi videbar, quum in hac disquisitione, licet gravissima, quam hic Vir, praematura, eheu, morte, Suis, hujus Academiae Civibus, nec minus Patriae, cujus decus erat, jacturam vix explendam relinquens, semper in ore habebat, meas juveniles vires periclitari, illudque, qualecunque tandem, opus suscipere studerem. Arbitrabar scilicet, me optime voto tuo esse satis facturum, si, quod Tibi gratissimum, quo tempore nobiscum confabularere, saepenumero mihi significaveras, me in illud publicum laudum certamen conferrem, et, quamvis in longe alia omnia jam distractus, ardua, sed pulcra, moliri haud recusarem; nec Praeceptori injucundum fore, ad quaestionem ab eo propositam ejusque discipulis maxime commendatam, hos potissimum annixos fuisse. — Ut Tibi, optime Pater!, semper gratum acceptumque retuli, quod praeclari hujus Viri institutioni me commiseris; ita quoque sensum, quo me affectum fuisse noveris, cum, in medio hoc labore, hujus Viri, quem imprimis suspiciebam, mortis inopinato nuntio percellerer, verbis exprimere non possum. Hanc maxime ob caussam, obortis etiam summis difficultatibus, quas superandas aegerrime ferebam, inceptum opus, nisi Tu incitando cohortandoque continuo mihi adstitisses, me missum facturum fuisse, vix est quod moneam.

Pietatis officio ex animo functum, Praecepto-

ribus celerisque hujus Academiae Civibus justa debita solvere, gratus animi sensus quam maxime me jubet.

Quod quidem cogitaram, ingenue enim fateor, sperare vero non poteram, imprimis cum in extrema hujus speciminis parte ipse tot festinationis vestigia deprehenderem; insperato mihi obtigit, ineunte proximo anno, humanissimo Nobilissimi hujus Academiae Ordinis Literarum et Philosophiae decreto, ut haec studiorum meorum primordia aureo condecorarentur praemio. Pro qua singulari benevolentia, VV. Cl. huic ordini adscriptis, cum, licet imperfecto opere, juvenili animo haec calcaria addere haud recusaverint, gratias quas possum maximas ago. Eorum subtili judicio continuo, ut par erat, obsecutus, quae minus placerent, vel mutavi, vel prorsus rejeci, multaque ex Stahrii, Madvigii *aliorumque animadversionibus inserui, quibus hoc meum periculum locupletarem; adjeci etiam in notis nonnulla, quae observavit* Krischius, *cujus opus novissime editum, tum demum legere mihi contigit, cum jam in eo essem ut hanc disputationem prelo committerem.*

Licet in dies magis difficultates deprehenderem, quae virium mearum tenuitatem longe longeque superarent; adeoque, priori disputationis parte vix typis mandata, jam passim quaedam invenirem, quae accuratius disponere potuis-

sem, alia, quae labis maculam contrahere intelligerem; attamen, a quo inde tempore disquirendo ulterius progredi studuerim, tantam voluptatem ex ipsa varietate hujus argumenti, viridanti in gramine gemmantis floris instar, percipere coepi, ut et meum facerem Socratis *apud* Platonem *dictum:* Ἐγὼ γὰρ εὖ ἴσθ᾽ ὅτι, ὡς ἐμαυτὸν πείθω, εἴπερ τις ἄλλος ἄλλῳ διαλέγεται βουλόμενος εἰδέναι αὐτὸ τοῦτο, περὶ ὅτου ὁ λόγος ἐςί, καὶ ἐμὲ εἶναι τούτων ἕνα. *Tenet vero me maxime pudor, ne nimium assumere mihi viderer, in iis quae primoribus tantum labris degustaveram.*

Etsi ceteris quoque Praeceptoribus multum me debere fatear, maxime tamen recordor V. V. Cl. Schröderum *et* Goudoeverum, *quorum tanta erga me beneficia semper alto pectore mihi infixa manebunt. Viro Cl.* Schrödero *gratissimum animum testor, quod jam ante aliquot annos in egregiam suam privatam disciplinam me quoque receperit, et, gravissima tradens philosophorum placita, non minus recentioris, quam antiquae philosophiae studia in me excitare studuerit. Viri autem Cl.* Goudoeveri, *Promotoris humanissimi, sollicitam curam, qua studiis meis consuluerit, palam profiteor, me semper magni fecisse; nec enim me tum latuit, cum adhuc scholis ejus interessem; maxime vero enituit, cum primus laetum reportati praemii nuntium mihi ipse afferret, et in retractando hoc*

specimine, sua opera, suis consiliis, librorum subsidiis, sponte mihi occurreret, fontesque, unde maxime proficerem, mecum communicaret. Horum igitur Duumvirûm tutelae studia mea commendo; in me vero in posterum singularem hunc amicitiae suae favorem conferre pergant, meque tot beneficiis haud indignum reperiant, vehementer opto.

Amicis denique, quos studiorum communio, sodalitatis etiam vinculum arctius mecum conjunxit, quorum jam plures, his communibus sacris relictis, ad publica munera vocatos esse video, me multum debere eorumque exemplo maxime incitatum fuisse, lubens testor. Etsi iis nondum valedicem, cum alia etiam studia me in hac Academia retineant, nolim tamen hac opportunitate eorum immemor ac tanta benevolentia indignus videri. Ad amicitiae vero vinculum, quod jam confirmavit studiorum morumque similitudo, quocunque me fata ducant, semper pie sancteque colendum, religione me ipsum obstringo.

Vobis, Parentibus Carissimis, omnia fausta cedant; D. vero O. M. piis votis invoco, ut Vos diutissime incolumes servet.

Scripsi Trajecti ad Rhenum
m. Maji 1841.

DISQUISITIONIS CONSPECTUS.

PROOEMIUM.

Unde tantae Aristotelis laudes tantaque admiratio apud Ciceronem? Conditio illius scriptorum nostris temporibus. De eorum divisione dissensus, cum inter antiquos, tum inter recentiores. Dijudicantur Stahrii, Ritteri, Madvigii sententiae. Vocum τῶν ἐξωτερικῶν et τῶν ἀκροατικῶν λόγων interpretatio proponitur. Aristotelis doctrinae ambitus ingeniique copia..p. 1—22.

CAPUT I.

QUIBUS OPPORTUNITATIBUS CICERONI ARISTOTELIS SCRIPTA INNOTUERUNT.

Cicero quid per totam vitam spectarit maxime? Antonius et Crassus. Uterque, imprimis vero Antonius, in Cicerone juvene Aristoteliae doctrinae studia provexit. Antonii libellus de Inventione. Crassi commentandi exercitatio, quam prae ceteris Cicero imitatus est. Simile commentandi studium in Aristotelis scriptis. Quintum fratrem, M. Pupium Pisonem Calpurnianum, maxime vero T. Pomponium Atticum, Cicero, tam familiaritate, quam studiorum communione sibi devinxit; Cratippi vero Peripatetici fautor unus in paucis exstitit. Peripateticorum doctrinae conditio apud Romanos. Attici, Luculli, Sullae bibliothecae. Dijudicatur Strabonis narratio. Afferuntur argumenta quae maxime eam infirmare videntur. Refutatur objectio a Madvigio proposita ad Ciceronis verba: *quod in commentariis reliquerunt*......................p. 22—48.

CAPUT II.

CICERONIS DIALECTICAE RATIO.

Aristotelis et Ciceronis dialecticae comparatio. — Novae dialecticae artisque vocabulorum Aristoteles auctor; ejus hac ex parte imitator Cicero. *Libri de Inventione.* — Ciceronis consilium in iis conscribendis. Antonii libelli et Hermagorae disciplinae, maxime vero Aristoteliae doctrinae vestigia. *Topica.* — Aristotelis operis, quod etiamnunc exstat, et Ciceronis discrimen. Hujus Topicorum origo atque ratio. Boëthius in hac comparatione instituenda fons praecipuus. *Dialecticae ratio in ceteris Ciceronis scriptis.* — Antonii partes in libris de Oratore. Quid de quaestionum generibus judicarint Aristoteles et Cicero? Locus de jocis et facetiis...........p. 48—70.

CAPUT III.

CICERO ORATOR.

De Eloquentiae cum Dialectica cognatione. — Aristotelis sententia summatim exponitur. Eum secutus Cicero eloquentiam cum dialectica arctissimo vinculo conjunxit. *De Eloquentia, doctrinarum vinculo.* — Doctrinarum instaurator Aristoteles. Ciceronis libri de Oratore. Ratio qua uterque altius Platone evolare studuerit. Eloquentiae indoles, vis laudumque praeconia. Crassi sententia de doctrinarum vinculo. Academicorum et Peripateticorum doctrinae hac in re praestantia. *De Aristotelio more.* — Basilii Magni sententia. Fragmenta ex Aristotelis dialogis de Animo ac de Nobilitate. Ejus dialogorum indoles in genere quaeritur. Ciceronis prooemiorum natura atque dotes. De ratione disputandi in utramque partem. Libri de Oratore, de Re publica. Ἀριςοτέλειον πρόσωπον in Ciceronis dialogis. De duplice Aristotelio more. Hortensius, Academica, libri de Finibus, de Natura Deorum, de Divinatione, Tusculanae Quaestiones. Passim dijudicatur Krisohii sententia. *De Elocutione.* — Aristotelis Isocratem aemulandi studium. Oratoris vestitus. *De Collocatione.* —

Aristotelis sententiam de numerosa oratione exposuit Cicero. *Ciceronis Orationes et Epistolae.* — Τὸ ἠθικὸν et τὸ παθητικόν. Eloquentiae principium ex Aristotelis ac Ciceronis sententia. Demetrii Phalerei, ut vulgo creditur, judicium de Aristotelis Epistolis..............................p. 70—119.

CAPUT IV.

DE CRITICAE ARTIS USU IN CICERONIS SCRIPTIS.

Nova apud Ciceronem historiam tractandi ratio. Prima historiae lex. Criticae vis. Brutus seu dialogus de Claris Oratoribus. Libri de Oratore. Aristotelis opus περὶ πολιτειῶν. Peripateticorum merita in criticis disquisitionibus. Aristotelis et Ciceronis studia historica..p. 119—126.

CAPUT V.

CICERONIS POLITICA DOCTRINA.

Peripateticorum merita. De oratore, optimo rei publicae rectore. Eloquentiae et Philosophiae cum Politica doctrina cognatio. Perfecti civitatis gubernatoris notio. Ethices apud Aristotelem et Ciceronem cum Politica doctrina conjunctio. Utriusque sententia de civitatis origine. Rei publicae definitio ac constitutio. Amicitia ex utriusque mente fundamentum omnis societatis civilis. Comparatio Ciceronis Laelii cum Aristotelis libris Nicomacheis octavo et nono. De duplicis justitiae distinctione. Aristoteles Ciceroni in justitia definienda plurimam partem facem praetulit. Aequitatis notio. De tribus rei publicae formis. Laudat uterque maxime regale civitatis genus. Optimae regiminis formae e tribus mixtae Aristoteles auctor dicendus videtur. Ab utroque aeque vituperata est Laconicae rei publicae constitutio, laudata aequabilis magistratuum electio. De loco urbi condendae maxime opportuno. Aristotelis συμβουλευτικὸν πρὸς Ἀλέξανδρον, Ciceroni exemplar, quod in conscribendo Commentario ad Caesarem imitaretur, optimum....................p. 126—155.

CAPUT VI.

CICERONIS IN PHILOSOPHIAM MERITA.

Ciceronis philosophandi ratio. Quae Aristotelis scripta legisse, quae novisse videatur. Argumenta contra Madvigii sententiam. Ciceronis varia philosophorum placita conciliandi propositum. *Prima naturae* ab Aristotele minime neglecta. Hujus ethices doctrinae character. Inter ejus libros Politicos atque Nicomachea vinculum arctissimum. — DE PRACTICA PHILOSOPHIA. — Non satis sibi constitit Cicero in variis sectis dijudicandis. De summo bono Aristotelis et Ciceronis sententiae. De virtute διανοητικῇ atque ἠθικῇ. Tripartita virtutis dispositio. Aristotelis et Ciceronis libellus de Virtutibus. Praecepta quaedam ex Aristotelis doctrina ethica in libris de Natura Deorum et in Oratione pro Murena. Peripateticorum sententia de perturbationibus. Comparatur disputatio de hoc argumento Aristotelis in Nicomacheis cum Ciceronis Tusculanarum libro quarto. — DE THEORETICA PHILOSOPHIA. — Unde Cicero gravissimam illam contentionem de ideis Platonem inter et Aristotelem verbo tantum attigerit? *Tusculanae Quaestiones.* — Aristotelesne animum immortalem esse statuerit? *De Natura Deorum.* — Recensentur loca quibus Cicero Aristotelis de Deo, de mundo, motu, spatio, sideribusque sententiam sibi proposuisse videtur. Quid de Orpheo poëta censuerit Aristoteles? Aristotelis praeclara sententia de divina natura quam nobis servavit Cicero. Praecipua loca a Cicerone ex Aristotelis libris de Historia Animalium desumta. *Libri de Divinatione.* — Aristotelis fragmentum περὶ τῆς καθ' ὕπνον μαντικῆς, ejus Problemata et libellus περὶ ἐνυπνίων. Fragmentum ex Aristotelis Eudemo. Improbantur a Peripateticis artificiosa divinandi genera. *De Fato.* — Ciceronis locus, quem variis modis tentarunt interpretes. Aristotelis de fato sententia. Opus περὶ ἑρμενείας. *Incerta quaedam fragmenta ex Aristotelis scriptis.* — Ex libris de Officiis. Ex Hortensio. p. 155-207.

PROOEMIUM.

JUDICIUM DE ARISTOTELE EJUSQUE SCRIPTIS.

Ut Cicero Graecarum literarum studio et eruditione aequalibus suis praestitit, ita affirmare non dubitamus, neminem Romanorum Aristotelis vim et auctoritatem in nullo non doctrinarum genere aeque esse admiratum, eiusque scripta, ingenii acumine et singularis doctrinae laudibus conspicua, magis suum in usum convertere studuisse, quam Ciceronem. Hinc praeclara illa laudum praeconia quibus celebrat, vel ejus disserendi subtilitatem: *inventoribus ipsis* eum vocans *multo commodiorem explicatorem* (1), *eadem acie mentis, qua rerum omnium vim naturamque viderat, haec quoque adspexit, quae ad dicendi artem pertinebant* (2), Aristotelia *vis* (3), *cum omnis ratio*

(1) de Inv. II, 2. Cf. I, 35. (2) de Orat. II, 38. (3) de Orat. III, 19.

diligens disserendi duas habeat partes, unam inveniendi, alteram judicandi: utriusque princeps, ut mihi quidem videtur, Aristoteles *fuit* (1), *princeps usus est maxima dicendi exercitatione, de omnibus rebus in contrarias partes disserendi* (2), *magna animi contentio adhibenda est explicando* Aristoteli (3); vel ejus ubertatem et dicendi ornamenta: Aristoteles, *qui haec maxime illustravit* (4), *non solum meliora, sed etiam multo plura* Aristotelem — *de his rebus, quam omnes dicendi magistros, scripsisse ostenderent* (5), Aristoteles *ornavit et illustravit doctrinam illam omnem, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione conjunxit* (6), *flumen orationis aureum fundens* (7), Isocratem *ipsum lacessivit* (8), Aristotelia *pigmenta* (9), *post* Platonem Aristoteles *illustravit omnem civilem in disputando locum* (10), vel ejus vim philosopham ingeniique dotes: Aristoteles *admirabili quadam scientia, et copia* (11), *omitto per ipsum* Aristotelem, *meo judicio in*

---

(1) Top. c. 2. Cf. Orat. c. 32. (2) Tusc. II, 3. Cf. de Fin. V, 4. (3) Orell. Edit. Fragm. p. 480. (4) de Orat. II, 10. (5) de Orat. I, 10. (6) de Orat. III, 35. Cf. l. I, 11, Orat. c. 14, de Fin. IV, 2, Tusc. III, 10. (7) Acad. II, 38. Cf. Plut. vita Cic. c. 24. (8) Orat. c. 19. (9) Ad Att. II, Ep. 1. Cff. de Div. II, 1, de Orat. III, 28, de Fin. I, 5. (10) de Legg. III, 6. (11) Orat. c. 1.

philosophia prope singularem (1), Plato, Aristoteles — *divina illa ingenia* (2), Aristoteles, *quem*, *excepto* Platone, *haud scio an recte dixerim principem philosophorum* (3), Aristoteles, *vir summo ingenio*, *scientia*, *copia* (4), Aristoteles *longe omnibus* (Platonem *semper excipio*) *praestans et ingenio*, *et diligentia* (5), *singulari vir ingenio* Aristoteles, *et paene divino* (6); ubi vero intimum animi affectum, ejus admiratione captus, exprimere cupit; Aristoteles, inquit, *is quem maxime admiror* (7), *quis* Aristotele *nervosior* (8)? *quis omnium doctior*, *quis acutior*, *quis in rebus vel inveniendis vel judicandis acrior* Aristotele *fuit* (9)? *ubi* Aristoteles *ista tetigit* (10)? *aut ipsum* Aristotelem, *quo profecto nihil est acutius*, *nihil politius* (11)? *quanto* Aristoteles *gravius et verius nos reprehendit* (12); sive ejus, ut auctoris, meminit, ex ejus scriptis loca commemorans: *ut* Aristoteles *saepe significat* (13), *longe* Aristoteli *videtur secus* (14). *Nec vero* Aris-

(1) Acad II, 43. Cf. Acad. I, 4, §. 17 et 18. (2) de Fin. I, 3. Cf. Ib. II, 6. (3) Ib. V, 3. Cf. c. 25. (4) Tusc. I, 4. (5) Ib. c. 10. (6) de Div. I, 25. Cf. Ib. II, 1. (7) de Orat. II, 36. (8) Brut. c. 31. (9) Orat. c. 51. (10) Acad. II, 44. (11) Ib. c. 46. (12) de Off. II, 16. Cff. de Orat. II, 36, III, 36, III, 47, Acad. I, 3. (13) Orat. c. 51. (14) Ib. c. 57, §. 192, Cf. §. 194.

toteles *non laudandus* (1), *praeclare ergo* Aristoteles (2). *Illud vero ab* Aristotele *animadversum, a quo pleraque, quis potest non mirari* (3)?

Quodsi has laudes, quibus aliae vix aequiparandae, cum Aristotelis scriptis, ut supersunt, comparemus, mirum quid continuo nobis accidit, et Ciceronem adeo nugari putamus: admiramur quidem in iis ingenii acumen, in rebus partiendis, definiendis et dijucandis subtilitatem; ornamenta vero dicendi, orationis suavitatem prorsus desideramus, et saepe, cum Trebatio interpretis munus requirentes, ab ejus librorum lectione obscuritate rejicimur; sed si diligentius tam Aristotelis quam Ciceronis scriptorum rationem perpenderimus, hunc maximam partem illius dialogos (4), de quibus injuria temporum judicare non licet, respexisse intelligemus (5); ea enim

---

(1) de N. D. II, 16. (2) Ib. c. 37. (3) Ib. c. 49. Cf. Acad. II, 44, de Fin. II, 6, de Legg. III, 6, ad Att. IV, Ep. 16. (4) Cf. Wytt. Praec. Phil. Log. p. 99. (5) Ex recentioribus, qui in Aristotele laudando satis parci videntur, ejus scriptorum, quae supersunt, laudes nullus melius percipit, quam Fr. Schlegel, Gesch. der alten und neuern Liter. T. I, p. 78, T. II, p. 210: „Als Schriftsteller hat Aristoteles den Charakter der Eleganz, der in seinem Zeitalter zu herrschen anfing." „In der strengen Angemessenheit bei der vollkommnen Klarheit der wissenschaftlichen Schreibart hat Aristo-

quae supersunt, ita lacerata, corrupta, interpolata ad nos pervenerunt, ut vera a falsis saepe vix dignosci possint.

Magnam sane partem Aristotelis operum deperditam esse, cum ex ipsius, tum ex antiquorum testimoniis et ex illius librorum catalogis, qui de ejus scriptis adhuc servati sunt (1), efficere licet; affirmare adeo ausim, nullum esse ex antiquis philosophum, de cujus scriptis et placitis tot contrariae sententiae circumferantur, quam de Aristotele; quarum controversiarum, nec minus praejudicatarum opinionum, causam invenimus, partim in ipso Aristotele, qui saepe sub di-

---

teles den Vorzug vor Buffon, dessen Ehrgeiz es war mit dem Griechen zu wetteifern." Cff. Kopp, Nachtrag, Rhein. Mus. III, I, p. 100, nota 5, Ritter, Gesch. der Phil. tom III, p. 15. sqq., Stahr, Arist. bei den Römern, p. 45, 46 et Aristotelia, II, p. 146. (1) Tres memorantur: 1° apud Diogenem Laërtium V, 22. 28, qui catalogum suum imprimis Alexandrinis philosophis, ut Hermippo, debuisse videtur. Cff. Stahr, Arist. II, p. 68, 70, Brandis, Rhein. Mus. I, III, p. 249. 2° apud Menagium ad Laërtium. 3° in Casiri Bibl. Arab. Hisp. I. p. 307; hunc catalogum Krische, Jen. Allg. L. Z. 1836. Jan. p. 100 et Forsch. auf dem Gebiete der alten Phil. p. 267, pro parte ex Andronici πραγματείαις fluxisse censuit. Cff. Buhle, Ausg. der Werke des Arist. I, p. 306, Stahr, Arist. I, p. 16.

versis titulis idem opus laudat (1), suam sententiam non satis ab aliorum, quos commemorat, opinionibus distinguit, et obscuritate multos a scriptorum suorum lectione rejicit; maximam vero partem in temporum, quibus vixit, ratione, in discipulorum studio magistrum, vel imitandi, vel excerpendi (2), palmamque ex hujus meritis arripiendi studio, et, quod non praetermittendum, in turba interpretum et commentatorum, qui, si unum alterumve excipias, ejus scripta tenebris magis effuderunt quam in lucem protraxerunt. Hinc orta controversia summi momenti omnique tempore agitata, quis ordo in eius scriptis digerendis servandus videatur.

Duplex vulgo distinguitur Aristotelis scriptorum genus, ἀκροαματικὰ vel ἐπιςημονικά, ἐσωτερικὰ, et ἐξωτερικὰ, quae etiam dicuntur ἐγκύκλια, ἐγκύκλιοι (3) λόγοι, λόγοι ἐν κοίνω, καθόλου λόγοι (4), λόγοι ἐκδεδόμενοι (5), Τυπικὰ (6), cui divi-

---

(1) Loca ab Aristotele laudata, in quibus dijudicandis summa critica est adhibenda, diligenter collegit Ritter, O. l. III, p. 35—37. (2) Cff. Stahr, II, p. 80. sq., p. 84—87, Brandis, Rhein. Mus. I, IV, p. 267. (3) Scaliger adv. Robert. Titium, III, 22, Gellius, N. A. XX, 4. Men. ad D. L. II, 196. b, Titze de Arist. Opp. serie et dist., p. 32. (4) Arist. de An. II, 5, p. 417 a 1. Bekk. (5) Poët. c. 15 in f. (6) Stahr, Arist. II, p. 263, 278, Buhle, O. l. p. 125, Madv. in Exc. VII. ad Cic. de Fin. p. 852.

sioni ab interpretibus, pro sua quisque sententia, diversi limites assignantur.

Strabo loco satis perplexo τὰ ἐξωτερικὰ non πραγματικῶς scripta fuisse contendit, hac nota a ceteris scriptis ea distinguens (1); nec magis nos juvat Cicero, qui unum genus populariter scriptum fuisse monet, „quod ἐξωτερικὰ appellabant; alterum limatius, quod in commentariis (2) reliquerunt (3).

---

(1) l. XIII. p. 608, 609. (2) Commentarii, ut ait Stahr, Arist. II, p. 243, non sunt ὑπομνήματα, sed λόγοι vollständige Werke. De hujus vocis interpretatione cff. quae monuerunt Madvigius ad Cic. de Fin. V, 5, p. 630, 631, Niebuhr, Röm. Gesch. I, p. 20 et Buhle, O. l. p. 115, n. 3. (3) Fin. V, 5. In hujus loci interpretatione non assentior Buhlio, de Arist. lib. exot. et esot. p. 116, qui Ciceronem hanc distinctionem ad solos libros de summo bono restrinxisse contendit, cuique adstipulatur Stahr, Arist. II, p. 242, sed potius Madvigio, qui Excursu VII, p. 851, 852, cum Goerenzio (ad Ciceronis de Finibus l. l. p. 545) ad cunctos tam Aristotelis quam Theophrasti, libros hanc distinctionem refert, et cum eo, p. 630, vocem *limatius* interpretor: „in quo veritas subtilius exquisita sit et nudius astrictiusque explicata nec ad ullam similitudinem communium opinionum et communis sermonis studiose adcommodata." Cff. Cic. ad Att. IV, Ep. 16, Wytt. Praec. Phil. Log. p. 96.

Plutarchus uno loco τὸν ἠθικὸν et πολιτικὸν λόγον ab acroamaticis et epopticis scriptis distinguit (1), altero vero τὰ ἠθικὰ ὑπομνήματα τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις opponit (2), ex quibus igitur locis utriusque generis fuisse efficere liceret.

„Ἐξωτερικὰ," ut ait Gellius (3), „dicebantur, quae ad rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumque rerum notitiam conducebant. Ἀκροατικὰ autem vocabantur, in quibus philosophia remotior subtiliorque agitabatur, quaeque ad naturae contemplationes, disceptationesve dialecticas pertinebant."

Ab hac Gellii distinctione pro parte recedit Ammonius Hermiae filius (4), qui, Aristotelis scripta bifariam dividens, in ὑπομνηματικὰ, commentaria seu adversaria, quae tantum materiam libri scribendi continebant (5), et συνταγματικὰ, opera composita, descripta, absoluta, haec duplicis generis fuisse censet, vel αὐτο-

---

(1) Plut. vita Alex. c. 7, T. I, p. 668 Fr. (2) Plut. adv. Colot. T. II, p. 1115 B. T, X, p. 586—587. Reisk. (3) N. A. XX, 5. (4) Comm. ad Cat. p. 4. Ed. Ald. (5) Obscuritate maxime conspicua e sententia Wyttenbachii, qui eo refert libellum de Poëtica, inchoatum ad modum commentarii, postea tribus libris ab Aristotele absolutum. Cf. ejus Epist. praem. Heusdii Spec. Crit. in Plat., p. 48.

πρόσωπα, ἀκροαματικὰ, vel διαλογικὰ, ἐξωτερικὰ, quibus sub alieno nomine alienam personam agit. Simili fere modo discipulus ejus Simplicius (1). Τὰ ἐξωτερικὰ vocat τὰ ἱϛορικὰ καὶ τὰ διαλογικὰ καὶ ὅλως τὰ μὴ ἄκρας ἀκριβείας φροντίζοντα, et τὰ ἀκροαματικὰ, ὧν καὶ αὕτη ἐϛὶν ἡ πραγματεία; in his vero, ut ait, ἀσάφειαν ἐπετήδευσε, διὰ ταύτης τοὺς ῥαθυμοτέρους ἀποκρουόμενος (2), ὡς παρ' ἐκείνης μηδὲ γέγραφθαι δοκεῖν.

Clemens Alexandrinus (3) et Galenus (4) ἐσωτερικὰ in discipulorum, ἐξωτερικὰ in

(1) Comm. ad Arist. Phys, l. I, p. 2. (2) Cff. Cic. Top. c. 1 et Epistola, de cujus tamen auctoritate valde quaeritur, qua Alexandri exprobationem Aristoteles refutasse fertur: ἴσθι οὖν αὐτοὺς (τοὺς ἀκροατικοὺς λόγους) καὶ ἐκδεδομένους καὶ μὴ ἐκδεδομένους. ξυνετοὶ γάρ εἰσι μόνοις τοῖς ἡμῶν ἀκούσασιν; quae exstant apud Gellium, l. l., Plut. vita Alex. c. 7 et Themistium Euphradem, ἀκρόασις φυσική, Venet. 1480 et 1500 fol. Cff. Titze O. l. p. 77 et 87 ff., Kopp, Rhein. Mus. III, 1, p. 98, Stahr, Arist. I, p. 95, 96, II, p. 46—49, Niebuhr, Röm. Gesch. I, p. 20, N. 30, Schäfer, Anim. ad Plut. IV, p. 245. (3) Strom. V. p. 575. A. B. Sylb. λέγουσι δὲ καὶ οἱ Ἀριϛοτέλους, τὰ μὲν ἐσωτερικὰ εἶναι τῶν συγγραμμάτων αὐτῶν, τὰ δὲ κοινά τε καὶ ἐξωτερικά (Cf. Wytt. Ann. in Plat. Phaed. p. 137, 138, 249. (4) Fragm. de substant. facult. natur. Ed. Bas. I. p. 342. (IV. p. 758. Ed. Kühn.) Cff. Madv., initio Exc. VII ad libb. de Fin. et Buhle, O. l. p. 119, qui ex errore

vulgi usum conscripta fuisse monent, et utramque distinctionem Themistius (1) quoque et Lucianus (2), hic quidem leviter tantum, attingunt.

Ex Aristotelis scriptorum commentatoribus, quorum praecipuos jam laudavi, praetermitti possunt auctor Paraphraseos (3) ad Nicomachea et Eustratii (4) loca sibi repugnantia. Ceterum de variis his testimoniis, quae, ne ab argumenti nostri finibus nimis recedamus, strictim tantum attigimus, qui plura noscere cupiunt, iis commendo exquisitam de hoc argumento Stahrii (5) disquisitionem.

Has opiniones, partim ex ipsis Aristotelis scriptis, partim ex recentiorum disquisitionibus, vel refutare, vel inter se conciliare, studuit Stahrius, cujus disputationis summa haec esse videtur.

Nusquam in Aristotelis scriptis appellationem λόγους ἐσωτερικοὺς (6) reperimus; ἐξωτερικοὶ

---

laudat Gal. de fac. nat. I, p. 80. Bas. (1) Orat. XXVI, p. 319. B. sqq. Ed. Hard. Cf. Wytt. Praec. Phil. Log. p. 97. (2) Vit. auct. V. I. p. 566. Ed. Reitz. Ἄλλος μὲν ὁ ἔκτοθεν φαινόμενος, ἄλλος δὲ ὁ ἔντοθεν εἶναι δοκεῖ, ὥστε ἢν πρίῃ αὐτὸν, μέμνησο, τὸν μὲν ἐσωτερικὸν, τὸν δὲ ἐξωτερικὸν καλεῖν. (3) Andr. Rhod. Par. Eth. ad Nic. I, 13, §. 9. (4) ad Arist. Eth. ad Nic. I, 13, §. 9. et VI, 4, §. 2, Buhle, O. l. p. 122. et Zell, Comm. p. 208. (5) Arist. II, p. 241—262. (6) Notae ἐσωτερικῶν λόγων usus non nisi serioris ori-

vero λόγοι saepius ab eo memorantur; veluti bis, tam in Ethica ad Nicomachum (1), quam in libris Politicis (2), ter in Ethica ad Eudemum (3), semel in Metaphysicis (4) et in Physicis libris (5). Quibus ex locis triplex efficitur vocis ἐξωτερικῶν significatio. Prima qua, ut censet Weisse (6), idem opus simul et exotericum et esotericum esse possit, prouti, vel ipsum ad alia opera referatur, vel alia scripta atque id, quod nunc legatur, significentur (7); quibus igitur Buhlii (8) sententia, haec saltem scripta ἀκροαματικὰ esse dicenda, in quibus τῶν ἐξωτερικῶν λόγων mentio fiat, refelleretur. Secunda, quae in Ethicis ad Eudemum, opere de cujus

---

ginis esse videtur, Ritter, O. l. p. 21. (1) l. I, c. 13 et l. VI, c. 4. (2) l. III, c. 4, §. 4, p. 101, Schneid., p. 82 Göttl. et l. VII, c. 1. §. 2, p. 215. Ib. (3) l. V, 4, p. 152, 1–2 Sylb., l. II, c. 1, p. 89, 11.. Sylb. et l. I, c. 8, p. 86, 16.. Sylb. (4) l. XIII, c. 1, p. 259, 20. Ed. Brandis. (5) l. IV, c. 14, p. 515. D. (p. 142. Ed. Pacii.) Cff. Zell ad Eth. Nic. I, 13, Stahr, Arist. II, p. 263—267. (6) Anm. zur Physik des Arist. p. 441, 442 et 517 (Leipzig 1829). (7) Cff. Arist. Pol. VII, 3 in f. οἷς οὐκ εἰσὶν ἐξωτερικαὶ πράξεις παρὰ τὰς οἰκείας τὰς αὐτῶν et Pol. VII, 1. Νομίσαντας οὖν ἱκανῶς πολλὰ λέγεσθαι καὶ τῶν ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις περὶ τῆς ἀρίστης ζωῆς, καὶ νῦν χρηστέον αὐτοῖς. Cff. etiam p. 1325, b. 22. Bekk. et Pol. VII, 1, p. 1323, b. 25. (8) Buhle, O. l. p. 152.

auctoritate valde quaeritur (1), invenitur, qua οἱ λόγοι ἐξωτερικοὶ opponuntur τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν, de quibus Titze monet, eos ad libros περὶ (πρώτης) φιλοσοφίας esse referendos (2), qua igitur significatione τῇ οἰκείᾳ σκέψει οἱ ἐξωτερικοὶ λόγοι opponuntur; tertia denique et maxime usitata significatione οἱ ἐξωτερικοὶ λόγοι (3) non de scriptis, sed de ratione philosophandi intelliguntur (4). Stahrius (5), Titzium (6) secutus, partem philosophorum, rhetoricorum, ethicorum, politicorum Aristoteliorum scriptorum ab eo, cum in Regis Philippi aula apud Alexandrum versaretur, jam composita fuisse censet, quae sententia nimis incertis fundamentis superstructa est,

---

(1) Hoc opus, ut etiam Magna Moralia, Aristoteli abjudicant Tennemann, Gesch. der Phil. III, p. 19, Stahr, Arist. II, p. 295, 296. (2) De Arist. Opp. serie et dist., p. 73, 74, Cff. Chr. H. Weisse, Arist. von der Seele und von der Welt, p. 373—379, Ritter, O. l. p. 23, Brandis, Metaph. XIII, c. 1. p. 259 et de perd. Arist. libris de ideis et de bono, p. 10, nota 11, Arist. Eud. I, 8, p. 1217. b. 22. ἐπέσκεπται δὲ πολλοῖς περὶ αὐτοῦ τρόποις καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις καὶ ἐν τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν (3). Cf. Weisse, O. l. p. 516, 517, Dan. Jenisch, die Ethik des Arist. in zehn Büchern, mit Anm. und Abh. Danzig 1791, p. 205, Arist. Nic. VI, 4. (4) Stahr, II, p. 272—278. (5) Id. I, p. 95, 96. (6) O. l. p. 77 et 87 ff.

quam ut ei continuo suffragari possim; nititur enim supposita Alexandri ad Aristotelem Epistola (1).

Buhlii aliorumque interpretum sententias, a Stahrio jam justo pretio aestimatas, praetermitto, ut ad recentissimas Ritteri et Madvigii continuo accedam.

Ingenii acumine maxime se commendat, ut mihi quidem videtur, liberalis illius sententia (2): „Es wäre wohl möglich, dass Aristoteles nur die Untersuchungen, welche ausserhalb seiner streng wissenschaftlichen Vorträge liegen, im Auge gehabt hätte, wenn er von exoterischen Reden sprach, dass dies aber sodann den Spätern Veranlassung zu Missverständnissen gewesen wäre.“ Censet igitur Aristotelis scripta philosopha tanquam systema sive circulum quendam esse consideranda, ex quo τὰ ἐξωτερικὰ excludit; omniaque, quae in suis scriptis Aristoteles ipse loca laudat, paucis exceptis, eo comprehendenda ei videntur. Huic, sive circulo, sive systemati, accenset opera physica, metaphysica, libros de anima, scripta logica (Aristotelis ut dicitur ὄργανον), rhetoricos, politicos, ethicos libros, poëticam et, quae etiam nunc supersunt, problemata; dialogos igitur, quorum hodie pauca tantum fragmenta exstant, unice ad τοὺς ἐξωτερι-

(1) Cf. disp. nost. p. 9, nota 2. (2) O. l. p. 22 sqq.

κοὺς λόγους referendos esse et non minus argumenti diversitate quam sermonis elegantia et dicendi arte a ceteris scriptis discrepuisse opinatur; quae enim essent mere philosopha ab Aristotele eo tantum proposito esse confecta, ut praelectionibus inservirent, et postea demum, vel ab eo ipso, vel ab ejus discipulis, fuisse edita (1); hinc igitur esse repetendum quod in prioribus scriptis haud raro ad posteriora referre soleat (2).

Madvigius, qui saepe Stahrii sententiam nimis exagitare videtur, Hegelii, qui dogmata esoterica et exoterica nulla fuisse censet, sententiae magis suffragatus (3): „Aristoteles," inquit (4), „neque generatim libros suos descripsit, neque quosdam occultos habuit, nisi quod nonnulli non celeriter confecti sunt. Qui apud ipsum ἐξωτερικοὶ λόγοι commemorantur, ii non li-

---

1) p. 28. Haec fere fuit Koppii quoque de acroamaticis sententia: « Diese akroamatischen Schriften des Aristoteles waren ὑπομνηματικά, sie waren Commentarii (Handbücher als Grundlage zu seinen Vorlesungen), waren vielleicht ausgegeben als Handschrift für seine Zuhörer, oder wie sonst dieserlei Titel heute zu Tage lauten." Rhein. Mus. III, I, p. 102. (2) Ritter, p. 29. Haec autem loca relata non nisi postea, sive a discipulis, sive a commentatoribus, commodioris interpretationis gratia intercalata esse videntur. (3) Exc. VII ad Cic. de Fin. p. 851. (4) p. 861.

bri sunt, sed communes hominum non rudium extra scholam sermones notionesque et τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν λόγοις contrarii ponuntur."

His igitur diversis opinionibus breviter expositis, comparatione instituta, hoc mihi statuendum esse videtur; Aristotelem ipsum, prouti nec systema quoddam condidit, ita quoque in scribendo distinctionem nullam proposuisse; vocis adeo ἐσωτερικῶν usum recentiorum esse commentum; primum enim, ni fallor, apud Clementem Alexandrinum exstat (1). Vox autem ἐξωτερικὰ, quae, ut jam rite monuit Stahrius, non definitam habet significationem, unice indicare videtur, *aliquid, quod extra rem positum, a re alienum est* (2); quae igitur notio, ut sponte apparet, pro diverso modo, quo haec vox contrariae voci opponitur, diversa esse debet; potest igitur haec vox quidem opponi, vel τοῖς ἀκροατικοῖς, ut censent Gellius, Galenus, Ammonius, Eustratius, vel τοῖς ἐσωτερικοῖς λόγοις, ut Clemens Alexandrinus et Lucianus, vel *commentariis*, ut Cicero, vel τοῖς ἠθικοῖς et τοῖς φυσικοῖς ὑπομνήμασιν, ut Plutarchus,

---

(1) l. l. p. 9 disp. n. (2) Cf. Arist. Pol. I, 5, p. 1254, a. 33. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἴσως ἐξωτερικωτέρας ἐςὶ σκέψεως et Pol. II, 6, p. 1264, b. 39. οἱ ἔξωθεν λόγοι.

vel τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν (1); minime vero affirmandum, eam certae et constantis divisionis normam indicare. Ad Ritteri igitur sententiam proxime accedens, et simul diversas significationes vocis ἐξωτερικῶν, quas Stahrius recenset, attendens, existimo τὰ ἀκροατικά, fuisse *disputationes limatius conscriptas*, seu *praelectiones*, *dictata*, ut vocabulo utar recentiorum sermone magis usitato, potius ab Aristotelis discipulis, quam ab eo ipso, in lucem protracta. Ex his enim discipulorum alter altero magis proficiens, vel ad verbum magistrum secutus, vel suo quisque modo excerpens et optima quaeque colligens, sua composuit. Sic demum rite intelligi potest, quo modo duo Categoriarum opera, quadraginta libri Analyticorum, tria opera Rhetorica, tria Ethica, quae saepe prorsus inter se conveniunt, sub uno Aristotelis nomine circumferri potuerint (2). Huic explicationi favet etiam externa species Metaphysicorum librorum, quorum singulae partes, nexum haud raro desiderantes, nimirum singulas praelectiones referunt (3). Ita quoque optime solvi posse mihi videtur dubitatio de Ciceronis

---

(1) Cf. Madv. Exc. VII, p. 861 et Arist. Nic. I, 8.
(2) Cff. Amm. Herm. Cat. fol. 3, b, Simpl. Cat. fol. 4, b, W. T. Krug, Gesch. der Phil. alter Zeit, p. 242, Ritter, O. l. p. 34, Fabr. Bibl. Graec. II, p. 201. (3) Cf. Brandis, Rhein. Mus. I, III, p. 242,

loco de Finibus (1), qui tantopere vexavit interpretes: „Quare teneamus Aristotelem et ejus filium Nicomachum, cujus adcurate scripti de moribus libri dicuntur illi quidem esse Aristoteli, sed non video, cur non potuerit patri similis esse filius." Nec opus erit Stahrii (2) ingeniosa sane conjectura, e duobus locis, Diogenis Laërtii (3) et Sui-

---

in nota, Ritter, O. l. p. 38: „So hat offenbar das, was wir unter dem Titel der Metaphysischen Schriften als ein Werk besitzen, unmöglich von dem Verfasser die jetzige Ordnung oder vielmehr Unordnung erhalten können, und doch zeigen die einzelnen Abhandlungen unzweideutig die Gelehrsamkeit, das Urtheil und den Styl des Aristoteles," et p. 39: „Um so näher liegt uns die Vermuthung, dass Aristoteles selbst keine vollständige erste Philosophie, sondern nur einzelne Abhandlungen über Gegenstände der Art hinterlassen habe, dass aber Spätere, ohne durch fremde Zuthat Zusammenhang zu erkünsteln, jene Aufsätze in eine Sammlung zusammenbrachten." Vidd. quae nuper de his libris monuit Krische, Forsch. auf dem Gebiete der alten Phil. I, p. 265 sqq., qui, satis latam stragem edens, nonnisi *tres* libros, A, K, Λ, *primum*, *undecimum* et *duodecimum* (*decimum* et *undecimum* Ed. Bekkeri) agnoscit. (1) V, 5. Cff. Davisius et Görenzius ad h. l. et Fabr. Bibl. Graec. II, p. 150. (2) Stahr, Arist. II, p. 109—112 et 150. (3) VIII, 88, φησὶ δ' αὐτὸν (τὸν Εὔδοξον) Νικόμαχος ὁ Ἀριστοτέλους τὴν ἡδονὴν λέγειν τὸ ἀγαθόν. Cf. Men. ad Laërt. et Arist. Nic. X, 2.

dae (1), ducta, Ciceronis tempore, praeter Ethicum Aristotelis opus, aliud similis formae atque materiae fuisse: si enim teneamus ea, quae modo proposui, quidni conjicerem, quum Ethicorum Aristotelis tria quasi exemplaria nobis supersint, decem illos Nicomacheos libros ex praelectionibus, vel, quod verisimilius etiam, ex manuscripto patris, a Nicomacho prolatos fuisse (2); ut alius fortassis discipulus *Magna Moralia*, alius, ut videtur Eudemus, Eudemia ediderit (3). Ciceronis igitur prudentiam potius laudo, cum, inter tot tantaque dubia, suam sententiam tam caute protulerit, quam Madvigio adsentiar, qui ex hoc loco efficere studuit, Ciceronem Nicomachea non legisse; cujus etiam argumentatio (4)

---

(3) voce Νικόμαχος. Ἔγραψεν Ἠθικῶν Βιβλία ἕξ. (2) Hanc quoque fere Koppii sententiam esse video, O. l. p. 103: „von der ächten Ethik hat wohl der Sohn des Aristoteles, Nikomachus, eine neue Ausgabe gemacht." (3) Cff. Brandis, O. l. I, IV, p. 267 sqq., Stahr, II, p. 80 sqq., Ritter, III, p. 39: „Besässen wir aber nur eine von den drei Ethiken, so würde wohl kaum ein verwerfendes Urtheil über sie gefällt werden können, sondern höchstens würden Zweifel beim Einzelnen aufkommen, von welchen einige es uns wahrscheinlich machen, dass die Eudemische und die sogenannte grosse Ethik nur aus Vorträgen des Aristoteles entstanden sein möchten.» (4) Excursu VII, p. 857.

hos libros non „ejusmodi esse potuisse toto genere, aut ita nota scriptoris caruisse, ut ad patrem consentiente fama referri possent, ac tantummodo suspicione paucorum ad filium," prorsus ita concidit. Sed de his suo loco plura erunt dicenda.

His igitur limitibus τῶν ἀκροατικῶν constitutis, iis cetera Aristotelis scripta, sive dialogos, sive epistolas, sive alios libros populari oratione compositos, oppono; haec igitur sunt quae, si fides habenda est Ciceroni (1), prae ceteris τὰ ἐξωτερικὰ vocavit (2).

---

(1) de Fin. V, 5, ad Att. IV, Ep. 16. Cf. Stahr, II, p. 278, 279: „die eigentlich exoterischen Schriften," et Niebuhr, Röm. Gesch. I, p. 20, anim. 30. (2) Praeter auctores, quos retuli, de Aristotelis scriptis judicia tulerunt Wyttenbach, Praec. Phil, Log. p. 95—101, Bayle, voce Arist., Buhle, Diss. de scriptis Arist., ipsius Edit. praem., Patritius, Disc. Per. Tom. I, 1. b. p. 63, Zeidler, Tract. de gem. vet. doct. modo, p. 108 ejus Intr. in lect. Arist., Ferrarius de Serm. Exot. Lib. unus et de Disc. Lib. alter, cura Goldasti, cum ejusdem de Cryptica Vet. Phil. Disc. Epist. ad Goclenium, P. J. Nunnesius, de Causa Obsc. Arist. earumque remediis, Fülleborn, Bruchstücke über Arist. Phil. und Manier, Beitr. St. 9, N°. 5, Micheletus ad Ethic. Nic. I, 5, 6, I, 13, 9, Krischius, in Ephem. Goett. a. 1834, p. 1894 sqq., in Jenens. a. 1835 m. Dec., p. 410 sqq. et in O. l. p. 12 sqq.

Aristoteles, puerili institutione medicinae praeceptis a patre imbutus, a naturae contemplatione quum exiisset, ope imprimis dialecticae, ad moralem doctrinam, ad hominis ipsius cognitionem, ad Dei notitiam pervenit, et, ut instaurator doctrinarum, quas, pro singulari, quo valebat, judicii et rationis acumine, in genera et species distribuit, nullum doctrinarum genus intactum reliquit, et, tam veterum, quam aequalium, placita diligenti examini submisit et componere studuit, quod non minus e rhetoricis et politicis, quam e physicis et metaphysicis ejus scriptis apparet. Quanta fuerit illius ingenii copia et amplitudo egregie elucet ex hac ejus apud Ciceronem (1) sententia: „Aristoteles, veteres philosophos accusans, qui existimavissent, philosophiam suis ingeniis esse perfectam, ait, eos aut stultissimos aut gloriosissimos fuisse; sed se videre, quod paucis annis magna accessio facta esset, brevi tempore philosophiam plane absolutam fore." — Si fides habenda est eius librorum indicibus, numero fere quadringenti fuisse videntur: „Persecutus est Aristoteles," ut ait Cicero (2), „animantium omnium ortus, victus, figuras. Disserendi ab *eodem* non dialectice solum, sed etiam oratorie praecepta sunt tradita: ab Aristoteleque principe

---

(1) Tusc. III, 28. Cf. Heusd. Char. Princ. Phil. p. 158. (2) de Fin. V, 4.

de singulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio est instituta, ut non contra omnia semper, sicut Arcesilas, diceret, et tamen, ut in omnibus rebus, quidquid ex utraque parte dici posset, exprimeret. Quum autem tertia pars bene vivendi praecepta quaereret, ea quoque est ab *eodem* non solum ad privatae vitae rationem, sed etiam ad rerum publicarum rectionem relata. Omnium fere civitatum, non Graeciae solum, sed etiam Barbariae (1), ab Aristotele mores, instituta, disciplinas, — qualem in re publica principem esse conveniret, qui esset optimus rei publicae status, — cognovimus. Vitae autem degendae ratio maxime quidem *ei* placuit quieta, in contemplatione et cognitione posita rerum: quae, quia deorum erat vitae simillima, sapiente visa est dignissima, atque his de rebus et splendida est *ejus* et illustris oratio." Ne aegre feratis, Lectores, me totum hunc locum descripsisse; quo enim modo melius, et Aristotelis praestantiam, et Ciceronis admirationem, simul exprimere potuissem? Aurea sunt verba, e quibus, quoties profecerim, dicere vix possum.

Haec in praesens de Aristotele ejusque scriptis sufficiant, singula, quae huc pertinent, fusius suo loco exponemus.

---

(1) νόμιμα βαρβαρικά Varro, Ling. Lat. VII, 3, p. 351.

CAPUT I.

QUIBUS OPPORTUNITATIBUS CICERONI ARISTOTELIS SCRIPTA INNOTUERUNT.

Quum Cicero, florente re publica, a prima inde juventute, ut oratorum princeps fieret, unice spectaret (1), dialecticam, doctrinam politicam, philosophiam, eloquentiae gratia summo ardore colens, tam Athenis quam in Asia oratorum principum scholas frequentavit (2). „Primum," ut Ciceronis verbis utar, „ipsius rei publicae causa philosophiam nostris hominibus explicandam

(1) ad Q. Frat. III, Ep. 5. αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. (2) Brut. c. 91 sqq.

putavi, magni existimans interesse ad decus et ad laudem civitatis, res tam graves, tamque praeclaras Latinis etiam literis contineri." (1) „Ego autem, quamdiu res publica per eos gerebatur, quibus se ipsa commiserat, omnes meas curas cogitationesque in eam conferebam. — Cum autem res publica, in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino, illae scilicet literae conticuerunt, forenses et senatoriae. Nihil agere autem cum animus non posset, in his studiis ab initio versatus aetatis, existimavi honestissime molestias posse deponi, si me ad philosophiam retulissem. Cui cum multum adolescens, discendi causa, temporis tribuissem: posteaquam honoribus inservire coepi, meque totum rei publicae tradidi, tantum erat philosophiae loci, quantum superfuerat amicorum et rei publicae temporibus" (2).

Vitam Ciceronis exponere, et hujus argumenti non esse censeo, et frustra tempus terere mihi viderer, si, post tot summorum virorum pericula, aliquid addere tentarem; sed, cum Cicero primam Aristoteliocae doctrinae notitiam, puerili suae institutioni, M. Antonii et L. Licinii Crassi auspiciis, debuisse videatur, quid ex horum disciplina profecerit accuratius erit exponendum.

---

(1) de N. D. I, 4. Cf. Tusc. I, 1 et Plut. vita Cic. c. 2 et 4, imprimis in fine. (2) de Off. II, 1.

Est sane praeclarum de utroque Ciceronis judicium: „Ego sic existimo, hos oratores fuisse maximos, et in his primum cum Graecorum gloria Latine dicendi copiam aequatam" (1). Quum literae Graecae hac aetate nondum jus civitatis Romae essent nactae et a cultioribus tantum colerentur, „fuit hoc in utroque eorum, ut Crassus non tam existimari vellet non didicisse, quam illa despicere, et Romanorum in omni genere prudentiam Graecis anteferre. Antonius autem probabiliorem populo orationem fore censeret suam, si omnino didicisse numquam putaretur: atque ita se uterque graviorem fore, si alter contemnere, alter ne nosse quidem Graecos videretur" (2).

Quamquam talem Graecarum literarum ignorantiam de se M. Antonius profitebatur, apparet tamen ex duobus primis Ciceronis de Oratore libris eum, proconsulem in Ciliciam profectum, tam Athenis, quam Rhodi, doctissimorum hominum sermonibus se dedidisse (3), et Graecorum libros delectationis causa legere consuevisse. Quum autem Antonius libro secundo principes historicos Graecos eosdemque eloquentissimos homines acu tetigisset: „Quid est, inquit, Catule, Caesar? ubi sunt, qui Antonium Graece

---

(1) Brut. c. 36 sqq. et passim. Cf. Orat. c. 5. (2) de Orat. II, 1. (3) Ib. I, 18, II, 1 et 37.

negant scire? quot historicos nominavit? quam scienter? quam proprie de unoquoque dixit?" (1)

Cicero sub Antonii persona Aristotelis rationem, quam ubique tantis laudibus extulit, disputandi in utramque partem, imprimis proponit. Primo enim libro de Oratore, die primo, quo hic sermo habitus esse fingitur, Antonius oratorem, contra Crassi sententiam, eum esse existimaverat: „Qui verbis ad audiendum jucundis et sententiis ad probandum accommodatis uti possit in causis forensibus atque communibus" (2); libro vero secundo, sermone postridie habito, ex Crassi mente: „Nullam non propriam oratoris esse rem, quae quidem ornate dici graviterque debeat" (3). „Nox te, inquit Crassus, nobis, Antoni, expolivit, hominemque reddidit. Nam hesterno sermone, unius cujusdam operis, ut ait Caecilius, remigem aliquem, aut bajulum, nobis oratorem descripseras, inopem quendam humanitatis atque inurbanum. Tum Anto-

---

(1) Ib. II, 14. Cum, ne in nimiae prolixitatis crimen inciderem, non nisi strictim de Antonio agere mihi licuerit, cff. de ejus laudibus Ciceronis loca de Orat. I, 20, 38, II, 3, 28, 73, III, 8, Brut. c. 37, 38, 57, 59, 88, 89, Orat. c. 30, Tusc. I, 5, de Off. II, 14, ut etiam Vaillant in Fam. Rom. I, p. 79 sqq., Ellendt, Prol. ad Brut., Meijer, Oratt. Rom. Fragm. p. 139 sqq., p. 187, Drümann, Gesch. Roms, I, p. 58 sqq. (2) de Orat. I, 49. (3) Ib. II, 8.

nius, Heri enim, inquit, hoc mihi proposueram, ut, si te refellissem, hos a te discipulos abducerem; nunc, Catulo audiente et Caesare, videor debere non tam pugnare tecum, quam, quid ipse sentiam, dicere" (1). Ex quibus verbis elucet jam Aristotelia illa vis, de qua suo loco uberius nobis agendum erit; „Aristoteles" enim, ut ait Catulus, „is quem maxime ego admiror, proposuit quosdam locos, ex quibus omnis argumenti via, non modo ad philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc, qua in causis utimur, inveniretur: a quo quidem homine jamdudum, Antoni, non aberrat oratio tua, sive tu similitudine illius divini ingenii in eadem incurris vestigia, sive etiam illa ipsa legisti atque didicisti: quod quidem magis veri simile videtur" (2). Sed quid plura? Ut tota disputandi ratio Antonii in libris de Oratore perspiciatur, sola haec addam egregia ejus verba: „Critolaum — puto plus huic studio nostro prodesse. Erat enim ab isto Aristotele, a cujus inventis tibi ego videor non longe aberrare. Atque inter hunc Aristotelem, (cujus et illum legi librum, in quo exposuit dicendi artes omnium superiorum, et illos, in quibus ipse sua quaedam de eadem arte dixit) et hos germanos hujus artis magistros, hoc mihi visum est interesse, quod ille

---

(1) Ib. c. 10. (2) Ib. c. 36.

eadem acie mentis, qua rerum omnium vim naturamque viderat, haec quoque adspexit, quae ad dicendi artem, quam ille despiciebat, pertinebant. Illi autem, qui hoc solum colendum ducebant, habitarunt in hac una ratione tractanda, non eadem prudentia, qua ille, sed usu, in hoc uno genere, studioque majore. Carneadis vero vis incredibilis illa dicendi et varietas perquam esset optanda nobis: qui nullam unquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probarit; nullam oppugnavit, quam non everterit. Sed hoc majus est quiddam, quam ab iis, qui haec tradunt et docent, postulandum sit" (1).

Quum igitur, ut apparet ex his locis, Antonius Aristotelis rhetoricis praeceptis esset imbutus, dolendum sane quam maxime est ejus libellum, ex quo, cum inveniendi praecepta tradiderit, Cicero multum profecisse videtur, aetatem non tulisse (2). Quanti enim hoc unicum

---

(1) de Orat. II, 38. Cf. Orat. c. 36 in f.: „Dicetur autem non Peripateticorum more (est enim illorum exercitatio elegans jam inde ab Aristotele constituta), sed aliquanto nervosius: et ita de re communia dicentur, ut et pro reis multa leniter dicantur, et in adversarios aspere." Ex qua utriusque loci comparatione efficere licet, Ciceronem in Oratore hanc Carneadis vim magis esse secutum.

(2) Ex eo fragmentum servavit Quinct. I. O. III, 6, §. 45: „Paucae res sunt, quibus ex rebus omnes orationes nascuntur, factum, non factum; jus injuria; bonum, ma-

Antonii periculum ejusque acumen ingenii Cicero fecerit, ex his ejus in Oratore laudibus judicari potest: „In eo libro, quem unum reliquit, disertos ait se vidisse multos, eloquentem omnino neminem. Insidebat videlicet in ejus mente species eloquentiae, quam cernebat animo, re ipsa non videbat" (1).

Crassi, quem alii parem Antonio esse dicebant, alii ei anteponebant (2), et sub cujus persona in libris de Oratore ipse Cicero latere videtur, tale erat ingenium, ut amplum perfecti oratoris dicendi munus, nullis limitibus circumscriptum, vinculum, ex ejus sententia, omnium artium atque doctrinarum, mente complecteretur (3), et, ut Scaevola juris peritorum eloquentissimus, ita ipse eloquentium juris peritissimus diceretur (4). Ut vero Antonii libellus maxime Ciceronem ad scribendum impulit, ita quoque Crassi suasio ei dicendi magistra fuit (5), et, ut Antonio inveniendi, ita

---

lum; unde tripartita divisio Ciceronis de Orat. II, 24: „*sit ne, quid sit, quale sit,*" orta videtur. (1) Orat. c. 5. Cf. c. 9, 21, 29, de Orat. I, 21, 47, 48, Quinct. I. O. XII, 1, §. 19 sqq., VIII, proöem. §. 13, Plinius, V, Ep. 20. (2) Brut. c. 38 et 40. De ejus laudibus, imprimis de ejus pudore, cff. de Orat. I, 26, 30, II, 72, 74, 84 init., III, 22, pro Fontejo, c. 7, Varen. Fragm. 8, p. 443, Meyer, Oratt. Rom. p. 146 sqq. (3) de Orat. II, 45. (4) Brut. c. 39, 43, 53, 57, 73, 88. Cf. de Orat. II, 33. (5) De nobilissima hac Crassi accusatio-

Crasso ornandi et eloquendi praecepta imprimis debuit. Quantum autem Crassus tam Graecis quam Latinis scriptis legendis studuerit, apparet maxime ex exercitatione, quam in juventute se secutum esse confitetur: „Ut summorum oratorum Graecas orationes explicaret. Quibus lectis hoc assequebatur, ut, cum ea, quae legeret Graece, Latine redderet, non solum optimis verbis uteretur, et tamen usitatis, sed etiam exprimeret quaedam verba imitando, quae nova essent, dummodo essent idonea" (1).

Ad hanc exercitationem Cicero cum totum se conformasset, Homeri et Arati carmina, Aeschyli, Sophoclis, imprimis Euripidis tragoedias, Latinis versibus reddidit (2), Oeconomica Xenophontis, Platonis Protagoram, Timaeum, et multa fortassis alia opera philosophorum, quarum versionum fragmenta non amplius supersunt, Graecas orationes, impri-

---

ne Carbonis cff. Brut. c. 43, de Orat. I, 10, II, 40, III, 20, de Off. II, 13, ad Fam. IX, Ep. 21, in Verr. III, 1. De Crassi ejusque orationis laudibus cff. de Orat. I, 20, 21, 35, 52, II, 1, 2, 11, 55, III, 4, Brut. c. 44, 73, 87, Orat. c. 5, 30, 65, 66, Tusc. I, 5, de Off. I, 30, 37, II, 18, 43, III, 16, Parad. V, 3, Top. c. 10, pro Caec. c. 18 et 24, pro Cluentio c. 51, pro Domo c. 19. (1) de Orat. I, 34. (2) De toto hoc argumento, ut de Ciceronis poëseos studiis, docte disputavit J. A. C. van Heusde, M. Tull. Cic. φιλοπ. p. 24—40.

mis Demosthenis atque Aeschinis (1), verbis exquisitis Latine vertit. Novimus praeterea Ciceronem, a Crasso (2) Archiae poëtae audiendi studio incitatum, Ennium ut Homerum suum coluisse, eum aemulatum Marium suum scripsisse, et in Terentio tam imitandi felicitatem quam inventionis gloriam et sermonis elegantiam esse demiratum (3). „Commentabar," ut ait in Bruto (4), declamitans (sic enim nunc loquuntur) saepe cum Pisone, et cum Q. Pompejo, aut cum aliquo quotidie; idque faciebam multum etiam Latine, sed Graece saepius: vel quod Graeca oratio plura ornamenta suppeditans, consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat; vel quod a Graecis summis doctoribus, nisi Graece dicerem, neque corrigi possem, neque doceri." In quo autem hoc commentandi studium acrius fuit quam in Aristotele, qui, quo studio in arte rhetorica veteres scriptores artes, usque a principe illo atque inventore Tisia repetitos, unum in locum conduxit, et nominatim cujusque praecepta magna conquisita cura perspicue conscripsit (5), eodem in doctrina politica varias sui temporis rerum publicarum constitutiones diligen-

---

(1) Cujus rei documentum egregium etiamnunc est prooemium de Optimo Genere Oratorum. Cff. Suet. de Clar. Rhet. c. 2, Orell. M. Tull. Cic. hist. p. 13, 14. (2) pro Archia c. 3. Cf. c. 1, 6, 8. (3) Cf. J. A. C. van Heusde, O. l. p. 43—52. (4) c. 90. Cf. c. 89. (5) de

ter exposuit, nec ubi de morali doctrina, de hominis et animantium omnium natura quaerit, placita principum philosophorum, Platonis, Eleaticorum, Jonicorum, sententias Sophistarum, medicorum, poëtarum, neglexit.

Redeamus vero unde exorsi sumus. — Crassus, quamvis Platonicae philosophiae amore maxime ductus, Aristotelem tamen minime neglexit; ejus enim copiam et dicendi varietatem imprimis admirans: „Si illam," inquit (1), „praeclaram et eximiam speciem oratoris perfecti et pulcritudinem adamastis, aut vobis haec Carneadia, aut illa Aristotelia vis comprehendenda est," et alio loco (2): „Sin aliquis exstiterit aliquando, qui Aristotelio more de omnibus rebus in utramque partem possit dicere, et in omni causa duas contrarias orationes, praeceptis illius cognitis, explicare, aut hoc Arcesilae modo, et Carneadis, contra omne, quod propositum sit, disserat; quique ad eam rationem adjungat hunc rhetoricum usum, moremque exercitationemque dicendi, is sit verus, is perfeetus, is solus orator."

Ut Cicero inde a pueritia summo studio Antonium et Crassum coluerat, ita maturiore aetate prae ceteris Q. Fratrem (3) et T. Pomponium, quem, ut alterum fratrem, amicitia sibi

---

Inv. II, 2. (1) de Orat. III, 19. (2) Ib. c. 21. (3) ad Q. Fr. III, Ep. 1, c. 4.

devinxerat (1), studiorum suorum socios esse voluit. Quum Cicero imprimis admirari soleret Attici prudentiam, moderationem, criticam historiae tractandae rationem, quidquid tam in rebus privatis quam in publicis negotiis sibi suscipiendum esse duxerat, ejus semper consilia expetiit, ab eoque monitus haud raro initam viam reliquit (2). Saepe Ciceroni Atticus scribendi auctor et orationum judex (3) fuit, nonnumquam etiam in ejus dialogis Epicuri placita tuitus est (4), ita ut difficile sit statuere, amicitiae an studiorum vinculum utrumque arctius constrinxerit.

Quamvis Atticus principum Epicureorum (5), Patronis et Phaedri, scholas imprimis frequentaverat, Antiochum (6) tamen una cum Cicerone audivit, et Peripateticorum philosophiam, a sua vitae ratione et historiae studio haud alienam, minime neglexit. „Malo," ita ad Atticum scribit Cicero (7), „in illa tua

(1) ad Fam XIII, Ep. 1. (2) ad Att. I, Ep. 17, §. 6, de Sen. c. 1 et loca e Cic. Epp. ad Att., quae diligenter collegit Hulleman, Diat. in T. Pomp. Att. p. 109—113. (3) ad Att. I, Ep. 13. (4) Brut., c. 3, 4 et 87, Orat. c. 34, Lael. c. 1, Tusc. I, 5, ibique Davisius et Raphaël Kuehner, ad Att. I, Ep. 13, IV, Ep. 16, VI, Ep. 1, VII, Epp. 2 et 3, XIII, Epp. 14, 18, 19, 23, 25, 35, XVI, Epp. 11 et 14. Cf. Hull. O. l. p. 180 sqq. (5) ad Fam. XIII, Ep. 1, de Fin. I, 5. (6) de Fin. V, 1, de Legg. I, 21. (7) ad Att. IV, Ep. 10.

sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis, sedere, quam in istorum sella curuli; tecumque apud te ambulare, quam cum eo, quocum video esse ambulandum." Neque hic in Ciceronis Epistolis locus praetermittendus (1), ubi: „Nunc," inquit, „ prorsus hoc statui, ut, quoniam tanta controversia est, Dicaearcho, familiari tuo, cum Theophrasto, amico meo, ut ille tuus τὸν πρακτικὸν βίον longe omnibus anteponat, hic autem τὸν θεωρητικὸν, utrique a me mos gestus esse videatur. Puto enim me Dicaearcho affatim satisfecisse: respicio nunc ad hanc familiam, quae mihi non modo, ut requiescam, permittit, sed reprehendit, quia non semper quierim. Quare incumbamus, o noster Tite, ad illa praeclara studia, et eo, unde discedere non oportuit, aliquando revertamur."

Utrique, quo tempore Cicero Athenis versatus est, studiorum similitudo summa familiaritate M. Pupium Pisonem Calpurnianum adjunxit; cujus rei ratio ex libro quinto de Finibus maxime intelligitur (2). Ut Romanorum principes jam a Catonis Majoris inde temporibus Graecis doctoribus utebantur, ita Piso quoque Staseam Peripateticum, in ejus genere omnium principem, domi suae habuit (3). Hinc quoque Cicero, libro

(1) Ib. II, Ep. 16, Cf. II, Ep. 3 et ad Fam. VII, Ep. 30. (2) de Fin. V, 1. Cf. Ib. IV, 26. V, 25, 26, 32, Brut. c. 90. (3) De Orat. I, 22, de Fin. V, 25.

quinto de Finibus, eum Peripateticorum, vel potius Antiochi, sententiam defendentem induxit: „Ita confeci quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, περιπατητικὰ M. Pisoni darem." (1) Et in libris de Natura Deorum (2), in quibus C. Vellejus Epicureorum, Q. Lucilius Balbus Stoicorum, Cotta Academicorum partes tuetur: „Atqui mihi videor," inquit, „venisse opportune. Tres enim trium disciplinarum principes convenistis. M. Piso si adesset, nullius philosophiae, earum quidem, quae in honore sunt, vacaret locus."

Ciceroni Peripateticorum doctrinam valde placuisse testatur familiaritas (3) Cratippi, ad quem, ex ejus sententia, Peripateticorum omnium, quos quidem audierit, facile principem (4), principem hujus aetatis sive memoriae (5) philosophorum, parem summis Peripateticis (6), filium suum Athenas erudiendum misit, ex cujus institutione, quantos fructus ei auguraret, ex ipsius monitis (7) apparet: „Annum jam audientem Cra-

---

(1) ad Att. XIII, Ep. 19. (2) De N. D. I, 7. Cff. de M. Pisone, Ascon. in Pis. VII, p. 15. Edit. Orell., Varro, R. R. III, 3, 8 et 13. (3) de Div. I, 3, 50, II, 49, de Off. III, 2, Brut. c. 71. (4) Tim. c. 1, Vol. IV, p. 496 Edit. Orell. (5) de Off. I, 1, III, 2. (6) de Div. I, 3, II, 48. (7) de Off. I, 1, II, 2, III, 2, 33. Cff. ad Fam. XII, Ep. 16, Stahr, Arist. II, p. 138 et Arist. b. d. Röm. p. 19, scriptoresque ibi laud.

tippum, idque Athenis, abundare oportet praeceptis institutisque philosophiae, propter summam et doctoris auctoritatem et urbis; quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis." — Semper Cicero in Epistolis, tam ad Herodem, quam ad filium, hunc ad Cratippum assidue audiendum adhortatur (1); hic vero quanti magistrum suum fecerit in Epistola quadam ad Tironem ipse testatur (2). A Caesare, ut refert Plutarchus (3), Cicero impetravit, ut civitatis jure donaretur, ab Areopago, ut decerneretur ac peteretur Athenas ne relinqueret, utque, tanquam civitatis ornamentum, ὡς κοσμῶν τὴν πόλιν, juventutis institutioni praeesset.

Universe monendum, licet secta Peripateticorum, ut jam ex iis, quae monui, apparet, apud Romanos non prorsus neglecta jaceret, constare tamen eam ceteris minus fuisse cultam et paucorum tantum principum aulas adire potuisse, ita ut ex Rhetoricis hujus sectae scriptis maxime proficere studerent, mere philosopha vero prorsus rejicerent (4); Cicero vero, cui, ut Aristoteli (5), comparare et inter se conciliare varias sectarum opiniones, vitae usui philosophiam superstruere, maxime obversabatur, qui veteris Academiae

---

(1) Plut. vita Cic. c. 24. (2) ad Fam. XVI, Ep. 21. (3) l. l., ut etiam vita Pomp. p. 659 et Bruti p. 994 F. De Cratippo cf. etiam Cic. de Div. I, 32 et II, 48—53. (4) Cic. Top. init. Cf. Stahr, Arist. II, p. 137 sqq. (5) Ritter, O. l. III, p. 42-44.

nomine tam Platonem, quam Peripateticos veteres, ex sua sententia re congruentes, verbis dissentientes, intelligere solebat, eos praecipue philosophos sibi magistros esse voluit, qui ad hujus veteris Academiae rationem proxime accederent; hinc repetendum quod Philonem (1), qui, ex nova Academia profectus, eam ad veteris simplicitatem reducere studuit, Panaetium (2), qui Stoicorum tristitiam et asperitatem fugiens, semper in ore habuit Platonem, Aristotelem, Xenocratem, Theophrastum, Dicaearchum, ut ipsius scripta declarant, ejusque discipulum Posidonium (3) imprimis secutus sit; Antiochi quidem orationis flumen et suavitatem admiratus sit, ejus vero a Clitomachi et Philonis placitis ad Stoicorum praecepta nimis propendentem doctrinam minus probaverit (4).

Ad Aristotelis et universe Peripateticorum scripta cognoscenda multum sane Cicero ex lauta Attici bibliotheca et ex hujus cum praecipuis viris consuetudine, Athenis inita, profecit, saepe etiam in Epistolis ex ejus libris quosdam expetivit (5) adeoque Attico sibi Graecam bi-

---

(1) J. A. C. van Heusde, O. l. p. 73—91. (2) Id. p. 127—132. (Cf. Cic. de Fin. IV, 28.) (3) Id. p. 132—141. (4) Plut. vita Cic. c. 4. Cf. Cic. de Legg. I, 21, Acad. II, 4. (5) ad Att. XIII, Ep. 32: „Dicaearchi περὶ ψυχῆς utrosque velim mittas et καταβάσεως. Τριπολιτικὸν non invenio, et Epistolam ejus, quam ad Aristoxenum misit. Tres eos libros maxime

bliothecam vendendi auctor fuisse dicitur (1). Sed Romae etiam, invalescentibus Graecarum literarum studiis, summi viri magnam copiam librorum, qua villas suas ornarent, congerere coeperant, inter quas collectiones Luculli bibliotheca imprimis excelluit. Insignis profecto de ea locus est Ciceronis de Finibus (2): „Nam, in Tusculano cum essem, vellemque e bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris uti, veni in ejus villam, ut eos ipse, ut solebam, inde promerem. Quo cum venissem, M. Catonem, quem ibi esse nescieram, vidi in bibliotheca sedentem, multis circumfusum Stoicorum libris." — „Quid tu, inquit (Cato), huc? a villa enim, credo." — „Causa autem fuit huc veniendi, (ita Cicero) ut quosdam hinc libros promerem." — „Tum ille: Tu autem, cum ipse tantum librorum habeas, quos hic tandem requiris? Commentarios quosdam, inquam, Aristotelios,

---

nunc vellem: apti essent ad id, quod cogito," et Ep. 33: „Dicaearchi librum accepi: καταβάσεως exspecto." Cetera loca contulit Hulleman, O. l. p. 175, nota 2.

(1) Id. p. 173, 174, nota 3. (2) III, 2. Cf. Plut. vita Luculli, p. 519 E. Ed. Crus. σπουδῆς δ' ἄξια καὶ λόγου τὰ περὶ τὴν τῶν βιβλίων κατασκευήν: καὶ γὰρ πολλὰ καὶ γεγραμμένα καλῶς, συνῆγεν. ἥ τε χρῆσις ἦν φιλοτιμοτέρα τῆς κτήσεως, ἀναμένων πᾶσι τῶν βιβλιοθηκῶν, καὶ τῶν περὶ αὐτὰς περιπάτων καὶ σχολαστηρίων ἀκωλύτως ὑποδεχομένων τοὺς Ἕλληνας, ὥσπερ εἰς μουσῶν τι καταγώγιον, ἐκεῖσε φοιτῶντας καὶ συνδιημερεύοντας ἀλλήλοις, ἀπὸ τῶν ἄλλων χρειῶν ἀσμένως ἀποτρέχοντας.

quos hic sciebam esse, veni ut auferrem, quos legerem, dum essem otiosus." Et in Topicis (1) ad C. Trebatium scripsit: „Cum mecum in Tusculano esses, et in bibliotheca separatim uterque nostrum ad suum studium libellos, quos vellet, evolveret, incidisti in Aristotelis Topica quaedam, quae sunt ab illo pluribus libris explicata." Cum autem Cicero per Tyrannionem, qui, familiaritate cum eo conjunctus, tam ejus, quam Quinti fratris, filii magister (2), ejus etiam bibliothecam disposuit (3), ex Sullae bi-

(1) c. 1. (2) ad Q. Frat. II, Ep. 4. (3) ad Att. IV, 4 b: „Offendes designationem Tyrannionis mirificam librorum meorum: quorum reliquiae multo meliores sunt, quam putaram. Etiam velim, mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus, ad cetera administris." Ib. Ep. 8. „Postea vero quam Tyrannio mihi libros disposuit, mens addita videtur meis aedibus." Ad Q. Fr. III, Ep. 4: „De bibliotheca tua Graeca supplenda, libris commutandis, Latinis comparandis; valde velim ista confici, praesertim quum ad meum quoque usum spectant. Sed ego mihi ipsi ista per quem agam, non habeo. Neque enim venalia sunt, quae quidem placeant, et confici nisi per hominem, et peritum et diligentem, non possunt. Chrysippo tamen imperabo, et cum Tyrannione loquar." Cf. Ib. Ep. 5, ad Att. II, 6, XII, 2 et 6, Brücker, Hist. Phil. II, p. 19, nota e, Bayle, Dict. Hist. et Crit. IV, p. 379, nota B, Stahr, Arist. II, p. 123—128 et Arist, b. d. R. p. 28.

bliotheca multum profecisse videatur; hujus vero bibliothecae primordia cum Aristotelis scriptorum fatis arctissime cohaereant, de his, ut rite judicare possimus, num et quantum ex Aristotelis scriptis Cicero profecerit, quaedam erunt interponenda.

Interpretes diu tenuit mira quaedam Strabonis (1) narratio, quam ipsius verbis apponemus: Ἐκ δὲ τῆς Σκήψεως οἵ τε Σωκρατικοὶ γεγόνασιν Ἔραςος καὶ Κορίσκος καὶ ὁ τοῦ Κορίσκου υἱὸς Νηλεὺς, ἀνὴρ καὶ Ἀριςοτέλους ἠκροαμένος, καὶ Θεοφράςου, διαδεγμένος δὲ τὴν βιβλιοθήκην τοῦ Θεοφράςου, ἐν ᾗ ἦν καὶ ἡ τοῦ Ἀριςοτέλους· ὁ γὰρ Ἀριςοτέλης τὴν ἑαυτοῦ Θεοφράςῳ παρέδωκεν· ᾧπερ καὶ τὴν σχολὴν ἀπέλιπε, πρῶτος, ὧν ἴσμεν, συναγαγὼν βιβλία, καὶ διδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν· Θεόφραςος δὲ Νηλεῖ παρέδωκεν· ὁ δ' εἰς Σκῆψιν κομίσας τοῖς μετ' αὐτὸν παρέδωκεν ἰδιώταις ἀνθρώποις, οἳ κατάκλειςα εἶχον τὰ βιβλία, οὐδ' ἐπιμελῶς κείμενα· ἐπειδὴ δὲ ᾔσθοντο τὴν σπουδὴν τῶν Ἀτταλικῶν βασιλέων, ὑφ' οἷς ἦν ἡ πόλις, ζητούντων βιβλία εἰς τὴν κατασκευὴν τῆς ἐν Περγάμῳ βιβλιοθήκης, κατὰ γῆς ἔκρυψαν ἐν διώρυγί τινι· ὑπὲρ δὲ νοτίας καὶ σητῶν κακωθέντα, ὀψέ ποτε ἀπέδοντο οἱ ἀπὸ τοῦ γένους Ἀπελλίκοντι (2) τῷ Τηΐῳ πολλῶν

---

(1) l. XIII, p. 608, 609. (2) De Apelliconte ejusque meritis cf. Athenaeus l. V, c. 53, pag. 214 Ed. Casaub., Brücker, O. l. II, p. 18, Stahr, I,

ἀργυρίων τά τε Ἀριςοτέλους καὶ τὰ τοῦ Θεοφράςου βιβλία· ἦν δὲ ὁ Ἀπελλίκων φιλόβιβλος μᾶλλον ἢ φιλόσοφος· διὸ καὶ ζητῶν ἐπανόρθωσιν τῶν διαβρωμάτων, εἰς ἀντίγραφα καινὰ μετήνεγκε τὴν γραφὴν, ἀναπληρῶν οὐκ εὖ, καὶ ἐξέδωκεν ἁμαρτάδων πλήρη τὰ βιβλία. Συνέβη δὲ τοῖς ἐκ τῶν Περιπάτων, τοῖς μὲν πάλαι τοῖς μετὰ Θεόφραςον, ὅλως οὐκ ἔχουσι τὰ βιβλία, πλὴν ὀλίγων, καὶ μάλιςα τῶν ἐξωτερικῶν, μηδὲν ἔχειν φιλοσοφεῖν πραγματικῶς, ἀλλὰ θέσεις ληκυθίζειν· τοῖς δ' ὕςερον, ἀφ' οὗ τὰ βιβλία ταῦτα προῆλθεν, ἄμεινον μὲν ἐκείνων φιλοσοφεῖν καὶ ἀριςοτελίζειν, ἀναγκάζεσθαι μέντοι τὰ πολλὰ εἰκότα λέγειν, διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἁμαρτιῶν· Πολὺ δὲ εἰς τοῦτο καὶ ἡ Ῥώμη προςελάβετο. Εὐθὺς γὰρ μετὰ τὴν Ἀπελλίκοντος τελευτὴν, Σύλλας εἷλε τὴν Ἀπελλίκοντος βιβλιοθήκην ὁ τὰς Ἀθήνας ἑλών· δεῦρο δὲ κομισθεῖσαν Τυραννίων τε ὁ γραμματικὸς διεχειρίσατο, φιλαριςοτέλης ὢν, θεραπεύσας τὸν ἐπὶ τῆς βιβλιοθήκης (1). Quem locum **Plutarchus** in vita **Syllae** (2) excerpsit. Jam continuo negotium nobis facit quidam Athenaei (3) locus, qui adversatur Strabonis

---

p. 10, 11 scriptoresque ibi laudati, II, p. 32, 53, 118, 119. Id. A. b. d. R. p. 25, 26. (1) Cf. **Stahr**, II, p. 18—30, 114—121 et p. 163—166. (2) c. 26, Cf. **Suidas**, voce Σύλλας, Vol. III, p. 393 **Küst.**, **Schneider**, Epim. II, **Arist.** Hist. d. Au. Vol. I, p. LXXX, **Kopp**, O. l. III, I, p. 93, **Stahr**, II, p. 22—30. (3) I, 2, p. 3 C.

testimonio: „ Ἀριστοτέλην τε τὸν φιλόσοφον — καὶ τὸν τὰ τούτου διατηρήσαντα βιβλία Νηλέα. Παρ' οὗ πάντα, φησὶ, πριάμενος ὁ ἡμεδαπὸς βασιλεὺς Πτολεμαῖος, Φιλάδελφος δὲ ἐπίκλην, μετὰ τῶν Ἀθήνηθεν καὶ τῶν ἀπὸ Ῥόδου εἰς τὴν καλὴν Ἀλεξάνδρειαν μετήγαγεν. Ut igitur Strabonis istam narrationem suo pretio aestimemus, partim veram, partim falsam eam esse statuamus; veram scilicet in eo, quod Theophrastus Aristotelis ópera, sive ipsius manuscripta, tanquam hereditatem praesidi Peripateticae scholae debitam, sive tantum apographa, ut ceteri discipuli, in suam bibliothecam retulerit; hanc vero Neleo ejusque heredibus in hereditatem reliquerit, a quibus postea Apellicon sua magno pretio emisse videtur; quae quidem uno ore tradunt Plutarchus, Athenaeus, Diogenes Laërtius (1). Concedimus etiam Straboni, Aristotelis scripta mere philosopha his temporibus minus ceterorum philosophorum scriptis manu trita fuisse; sed ex iis, quae Cicero de Luculli bibliotheca et in libro quinto de Finibus de Aristotelis et Theophrasti scriptis, imprimis de Ethicis tradidit, affirmari posse confidimus, jam ante Apellicontis et Syllae tempora Romanis Aristotelis commentarios innotuisse (2). Maxime vero infirmatur haec Strabonis traditio ipsis primorum Peripa-

(1) V, 52. Cf. Brandis, O. l. I, III, p. 238.
(2) Stahr, II, p. 150.

teticorum scriptis, qui, nisi ipsius Aristotelis scripta iis praesto fuissent, non magistrum suum ad verbum ita essent secuti, ut nostris temporibus ne summa quidem critica eorum opera a magistri scriptis dignoscat. (1) Repugnant etiam aliorum antiquorum scripta, Chrysippi (2), Polybii (3), Posidonii (4), de quibus constat, eos ex ipsis Aristotelis scriptis profecisse, Aristotelis Isocratem aemulandi studium et inde orta hujus defensio a Cephisodoro ejus discipulo (5), nec minus scripta ab oppositarum sectarum fautoribus, ut Eubulide, Stilpone, Hermacho, polemica ratione edita, e quibus patet, eos Aristotelis placita optime novisse (6). Obstat tota ratio, qua Aristoteles discipulis suis doctrinam suam tradere solebat ejusque librorum, ut etiamnunc supersunt, contextus (7);

---

(1) Cff. quae in prooemio jam passim monui, et imprimis Brandis, O. l. I, III, p. 243—246 et I, IV, p. 270 sqq., qui acute Eudemi, Theophrasti, Stratonis, Chrysippi adeo placita cum Aristotelis scriptis comparans, Strabonis traditionem refutavit; quibus etiam adjicienda sunt Koppii additamenta, Ib. III, I, pag. 95—104. (2) Brandis I, III, p. 246—248, Cic. de Fin. IV, c. 5—7, Stahr, II, p. 89. (3) l. XIII, c. 5, et 9. Cf. Plut. Non posse suav. vivi sec. Epic. c. 10, κτίσεις καὶ πολιτεῖαι. (4) Kopp, O. l. p. 98. (5) Athenaeus, III, p. 122 A et B. Cf. Stahr, II, p. 42 sqq. (6) Ib. p. 91, 92. (7) Cf. p. 15 sqq. disp. n.

offendit etiam Alexandri Epistola, in qua, licet, ut jam supra monui, supposita esse videatur, ea tamen quae continet, quippe veteri famae superstructa, veri sigillum prae se ferunt (1).

Princeps causa gravis hujus erroris inde repetenda videtur, quod Strabo, rationem Aristotelis scriptorum apud Romanos (2) unice cognoscens, inde continuo eorum fata universe composuerit (3); quod eo probabilius fit, si reputaverimus, Strabonem fuisse Tyrannionis, ejus qui Syllae bibliothecae praefuit, discipulum. Quum autem per Tyrannionem, cujus merita magni cum alii faciunt, tum maxime Cicero, factum sit, ut Andronicus Rhodius (4) Aristotelis scripta, novo ordine εἰς πραγματείας digesta, edere potuerit, non mirum magistrum praestantiam manuscriptorum in Syllae (5) bibliotheca discipulo venditasse; hunc autem avide ea arripien-

(1) Cf. p. 9, disp. n., nota 2. (2) Cf. Stahr, II, p. 137 sqq. (3) Ingeniosa nec rejicienda est Ritteri conjectura, O. l. III, p. 33: „Jene Erzählung scheint aus einer lobpreisenden Empfehlung der Ausgabe Aristotelischer schriften, welche Andronikos besorgt hatte, geflossen zu sein; neben dieser aber haben wahrscheinlich, um nicht zu sagen gewiss, andere Ausgaben sich gefunden, und es konnte eine vergleichende Schätsung der verschiedenen Ausgaben statt finden." (4) Stahr, Arist. II, p. 47 sq., 67 et 129 sqq., A. b. d. R. p. 28, 29, Brandis, O. l. I, III, p. 240. (5) Cf. Stahr, II, p. 25 et 55.

tem, quae fortassis Tyrannion de ipsius Aristotelis manuscriptis in hac bibliotheca reconditis vere ei tradidisset, ad totam ejus librorum, tam rationem, quam cognitionem, retulisse. Credibile enim vix foret, Ciceronem, qui res adeo minimi momenti attigit, tanta sui familiaris de Aristotelis scriptis merita, opportunitate toties oblata, praetermissurum, et philosophos, quod summi hujus viri scripta ignorarent, tam vehementer reprehensurum fuisse (1); praeterea nec Andronico (2) summa critica opus fuisset, si ex veris ejus manuscriptis haurire potuisset.

Strabonis narrationi maxime adversantur Attalorum et Ptolemaeorum studia Aristotelis libros conquirendi (3), eademque oppositam sententiam, jam continuo plura Aristotelis scriptorum exemplaria adfuisse, confirmant, et, quae in Athenaei (4) loco controversa videntur,

---

(1) Top. c. 1, „qui ab ipsis philosophis, praeter admodum paucos, ignoraretur." (2) Cff. Boëthius ad Arist. lib. de interpr. Ed. 2, prooem. p. 292 et de Divis, init. p. 638, Stahr, II, p. 132, 133, Kuehner, O. l. p. 13, 14, Brücker, O. l. II, p. 19, Brandis, O. l. I, III, p. 241 et Ritter, III, p. 33. (3) Stahr, II, p. 71. (4) G. J. Vossius, de Sectis Phil. c. 15, p. 89, hunc Athenaei locum ita intelligit ut ab his bibliothecis operum Aristotelis et Theophrasti eorum manuscripta excludat. Cff. Buhle, Opp. 1, praef. p. XIX in nota et Titze, O. l. p. 9.

prorsus tollunt. Demetrio enim Phalereo, quem exsulem ex patria exceperant, multum debuerunt duo priores Ptolemaei; nam, et bibliothecam eorum ordinavit, et per eum, Aristotelis discipulum eundemque cum Theophrasto summa familiaritate conjunctum, utriusque scripta Aegyptiis magis innotuerunt (1); nec minus constat, cum Ptolemaei tanto ardore literarum studia proveherent, eos undique manuscripta, tam spuria, quam sincera et integra, collegisse (2). Ex hac autem lauta bibliotheca, tam Diogenes Laërtius (3), quam Anonymus apud Menagium, ad catalogos suos consarcinandos multum profecisse et Andronicus Rhodius (4) etiam nonnulla hausisse videntur. Plures praeterea Alexandrini, inter quos princeps Hermippus, Aristotelis scripta ordinarunt (5); ex quibus igitur, ut ex egregio Ammonii (6) loco: Πτολε-

(1) Cf. Stahr, II, p. 59, Diog. Laërt, V, 37: Πτολεμαῖος ἔπεμψεν ἐπ' αὐτόν (τὸν Θεόφραςον). (2) Τῶν Ἀριςτοτελικῶν συγγραμμάτων πολλῶν ὄντων χιλίων τὸν ἀριθμόν, ὥς φησι Πτολεμαῖος ὁ Φιλάδελφος, ἀναγραφὴν αὐτῶν ποιησάμενος, ut refert David Armenius, quem citant Brandis, I, III, p. 249, 250 et Stahr, II, p. 68 et 69. (3) Disp. n. p. 5, nota 1. (4) Stahr, II, p. 72, 73, Brandis, O. l. p. 251. (5) Stahr, II, p. 67 sq., Brandis, O. l. p. 249. (6) ad Cat. fol. 3 a. Cff. Stahr, II, p. 71 et p. 93-114, ubi antiquorum testimoniis probat plurima Aristotelis scripta semper nota saepiusque adhibita fuisse, et Kopp, O. l. III, I, p. 100—102.

μαῖον, τὸν Φιλάδελφον, πάνυ ἐσπουδακέναι φασὶ περὶ τὰ Ἀριστοτελικὰ συγγράμματα, ὡς καὶ περὶ τὰ λοιπά, καὶ χρήματα διδόναι τοῖς προσφέρουσιν αὐτῷ βίβλους τοῦ φιλοσόφου. — Ἀμέλει, φασίν, ἐν τῇ μεγάλῃ βιβλιοθήκῃ εὑρῆσθαι. Ἀναλυτικῶν μέν, τεσσαράκοντα βίβλους, Κατηγοριῶν δὲ δύο, apparet, plura Aristotelis scripta, praecipue vero logica, Alexandriae innotuisse.

Ex iis quae supra, imprimis de indole τῶν λόγων ἀκροατικῶν, monui, satis liquet, vanam fieri objectionem, a Madvigio (1) ex Ciceronis (2) verbis „*quod in commentariis reliquerunt*" desumtam, qua contendit: „Injuria Stahrium (Arist. II, p. 35) negasse, ab ullo vetere scriptore apertis verbis tradi, quod Strabo significat in notissima narratione, Aristotelem libros suos majoris momenti plerosque non ipsum edidisse;" nec etiam opus esse Niebuhrii (3) conjectura: „Eos libros dici in commentariis relictos, quos Aristoteles et Theophrastus non statim, quum scripti essent, ediderint, sed aliquamdiu retinuerint et subinde emendaverint;" pro discipulis enim edita, pro vulgo inedita, scripta Aristotelis erant.

Ita quoque jacet opinio quam paullo inferius de eodem hoc Ciceronis loco Madvigius (4) protulit: „Itaque pannus hic ornatus adventicii

(1) Exc. VII, p. 852. (2) De Fin. V, 5. (3) Röm. Gesch. I, p. 20, Ed. 2. (4) Ib. p. 854.

adsutus est, ut, quom rem omnem ab Antiocho haberet, de Aristotele tamen aliquid diceret. Eoque fit probabilius, Ciceronem hoc totum ex communi suae aetatis fama sumpsisse nec eam fortasse diligenter interpretatum esse." Verba enim illa, *quod in commentariis reliquerunt*, unice ut oppositum vocabulum ἐξωτερικόν magis eluceat, usurpata, morem veterum philosophorum, ne a nostro quidem aevo alienum, quo ipsi praelectiones suas in lucem non protrahant, plane referunt.

Haec argumenta, quae strictim tantum attigi, sufficere mihi videntur ad Strabonis traditionem, pro parte saltem, refellendam (1).

(1) Fata Aristotelis scriptorum, praeter jam laudatos scriptores, exposuerunt quoque Schneider, Epimetrum de fatis libr. Arist. post mortem Theophrasti usque ad tempora Sullae, Vol. I, p. 76, sqq., Heyne, Opusc. Acad. Vol. I, p. 126, Buhle, Comm. de libris Arist. acroam. et exot. Gött. 1788 et Geschichte der Phil. T. II, p. 318 et T. IV, p. 35, 36, nota a, Schlosser, Univ. Hist., übers. der Gesch. der alten Welt und ihrer Cultur, T. II, 2, p. 541 sqq.

CAPUT II.

CICERONIS DIALECTICAE RATIO.

Aristotelis et Ciceronis dialecticae comparatio.

Dialecticae auctorem Zenonem Eleatem ipse vocat Aristoteles (1); vera autem dialectica, διαιρέσεσι καὶ συναγωγαῖς a Platone demum exculta est, cui Aristoteles debuit (2) novum suum dialecticae methodum (συλλογιστικὴν) et analyticam (3) rationem, quam admirabili quadam ingenii subtilitate exposuit, legibus adstrinxit Platonis que rationi quodammodo opposuit; ut enim hic interrogando, ἐκ τῶν κατὰ μέρος, ita Aristoteles demonstrando, ἐκ τῶν καθόλου, (4) proce-

(1) Sext. Empir. adv. Math. VII, p. 193, Diog. Laërt. prooëm. §. 18 et l. IX, 25, Wytt. Praec. Phil. Log. p. 13. (2) Cic. Acad. I, 8, Cf. Ph. G. van Heusde, In. Phil. Plat. II, II, p. 148 sqq. (3) Tennemann, Gesch. der Phil. III, p. 77. (4) Arist. Anal. Post. I, 18.

dere solebat. Incipit a definitione, quam invenire studet Plato, docet in quas partes dividendum distribuendumque sit argumentum; singularum dialecticae partium earumque expositionis auctor, veram dialecticam excoluit et oratorem singulas orationis partes suo loco exponendas et argumentationis accuratae atque ordine definiendo distribuendoque procedentis normam docuit: „Eorum omnium," ut ait Aristoteles (1), „quae inveniuntur, quaedam ab aliis accepta, prius elaborata sunt, postea per partes adaucta ab iis, qui eos exceperunt: alia vero ab initio inventa exiguum primo incrementum suscipere consueverunt, postea vero amplificata majorem utilitatem nacta sunt; — hujus autem (dialecticae) tractationis non aliud erat, aliud non satis excultum, sed nihil prorsus exstabat." Qui enim eum praecesserant, ut Sophistae, ea quidem quae a dialectica efficiuntur tradiderant, ipsam vero demonstrandi, probandi, refutandi rationem prorsus neglexerant vel potius ignorarant; fuit igitur Aristoteles primus, qui dialecticam doctrinae instar colere inciperet (2); hinc quoque in dialecticis scriptis, quae communi nomine *ὀργάνου, ὀργάνου ὀργάνων καὶ χειρὸς τῆς φιλοσοφίας* comprehenduntur (3), nusquam, si

(1) Soph. Elench. c. 33, p. 183, b. 17. Cf. Tenn. III, p. 79. (2) Buhle, Gesch. der Phil. III, p. 239. (3) Wytt. O. l. p. 99, Ph. G. van Heusde, Char. p. 153 et ibi laud. Barth. de St. Hilaire, de la Logique d' Aristote, Vol. I, p. 15.

unum alterumve Zenonis locum exceperis, aliorum sententias attulit (1). Hujus autem dialecticae, quam a metaphysica diligenter distinxit, ἔργον esse voluit εὑρεῖν τινα δύναμιν συλλογιςικὴν περὶ τοῦ προβληθέντος ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ὡς ἐνδοξοτάτων. Minime tamen neglexit Platonicam, vel potius Socraticam rationem (2), ad quam exprimendam novum nomen inventum ἐπαγωγῆς (3). Duo sunt, ut ait Aristoteles (4), τῶν λόγων εἴδη τῶν διαλεκτικῶν, ἐπαγωγή et συλλογισμός: illud ἡ ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαςον ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος, πιθανώτερον καὶ σαφέςερον καὶ κατὰ τὴν αἴσθησιν γνωριμώτερον καὶ τοῖς πολλοῖς κοινόν· συλλογισμὸς vero βιαςικώτερος καὶ πρὸς τοὺς ἀντιλογικοὺς ἐνεργέςερος. Latius igitur patuit haec, sive ars, sive doctrina, quam ut sola, vel ἐπαγωγῇ, vel συλλογιςικῇ, contineretur, ad quam totam comprehendendam jam a veteribus Peripateticis novum *Logices* (5) nomen

(1) Tenn. III, p. 29 sqq. (2) Anal. Pr. I, 1 et passim. (3) Anal. Post. I, 1, p. 71, a. 10. Top. I, 8 et passim. Cf. J. de Vuller, Diat. in Socr. ἐπαγ. in praef. et p. 10 sqq., qui merito inter ἐπαγωγὴν et παραγωγὴν, quam *inductionem* vocavit Cicero, Top. c. 10, distinguendum esse censet. (4) Top. I, 12. Cf. Ph. G. van Heusde, In. II, II, p. 92 sq., Kuehner, O. l. p. 141, V. G. E. Schulz, Grundsätze der allg. Logik, IV Ed. 1822, praef. p. VI sq., J. Facciol. Rud. Log. p. 106 sq. (5) Boëthius, I, p. 273 sqq. Orell. Ed., triplicem affert Logices divisionem, „ aut veris

excogitatum est, tam inveniendi quam judicandi facultatem in se continens. Huic igitur dialecticae triplicem finem esse voluit, *quid sit verum invenire* in Topicis, *quid judicare* in Analyticis, *quid cum aliis communicare* in Hermeneutica sive libro de Interpretatione, exponens; *ipsam autem veri materiam, in plurium rerum vel conjunctione vel disjunctione positam*, in Categoriis tradidit (1), et, quae Cicero retulit in Tusculanis (2): „an tu dialecticis ne imbutus quidem es? inprimis enim hoc traditur: *omne pronuntiatum* (sic enim mihi in praesentia occurrit, ut appellarem ἀξίωμα; utar post alio, si invenero melius): id ergo est *pronuntiatum*, quod est verum, aut falsum;" haec spectavit Aristoteles distinctione decem Categoriarum, quae per se nec affirmant, nec negant, sed e quarum mutua con-

---

ac necessariis argumentationibus, quae disciplina vel demonstratio nuncupatur: aut tantum probabilibus, quae dialectica dicitur: aut apertissime falsis, quae sophistica, id est cavillatoria, perhibetur." Cf. Cic. de Fin. I, 7, Wytt. O. l. p. 6, Tenn. III, p. 66, 67, Ritter, III, p. 64, 65. Recentiores logica intelligunt analyticam, veri falsique regulas; dialectica vero logices quasi primordia. (1) Wytt. O. l. p. 11, 12. Hunc ordinem, vulgari oppositum, servandum censet Tenn. O. l. III, p. 29—31; vulgarem vero retinet Ritter, III, p. 76, 77. (2) Tusc. I, 7. Cff. Wytt. O. l. p. 18, Gellius, N. A. XVI, 8, Cic. Acad. II, 29.

junctione vel disjunctione affirmatio aut negatio, vel vera, vel falsa, *veritas*, ut ita dicam, *logica*, oriri demum potest (1). Hinc quoque Cicero (2) dialecticam praedicavit, „ artem omnium artium maximam, quasi lucem ad ea, quae confuse ab aliis aut respondebantur, aut agebantur, — quae doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando; ambigua primum videre, deinde distinguere; postremo habere regulam, qua vera et falsa dijudicarentur, et quae, quibus positis, essent, quaeque non essent consequentia."

„Cum omnis ratio diligens disserendi," ut ait Cicero (3), „duas habeat partes, unam inveniendi, alteram judicandi: utriusque princeps, ut mihi quidem videtur, Aristoteles fuit. Stoici autem in altera elaboraverunt. Judicandi enim vias diligenter persecuti sunt, ea scientia, quam διαλεκτικὴν appellant. Inveniendi vero artem, quae τοπικὴ dicitur, quaeque ad usum potior erat, et ordine naturae certe prior, totam reliquerunt. Nos autem, quoniam in utraque summa utilitas est, et utramque, si erit otium, persequi cogitamus, ab ea, quae prior est, ordiemur." Quod iisdem pae-

---

(1) Cat. c. 4, Top. I, 9. (2) Brut. c. 41. Cf. Arist. Top. I, 1, μέθοδον εὑρεῖν, ἀφ' ἧς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδόξων, καὶ αὐτοὶ λόγον ὑπέχοντες, μηθὲν ἐροῦμεν ὑπεναντίον, Gellius, XV, 26. (3) Top. c. 2. Cf. Orat. c. 32 et 51.

ne verbis in libris de Finibus (1) expressit. Si igitur Cato in hoc opere Peripateticorum dialecticam reprehendit, haec improbatio (2) non Ciceroni est imputanda, sed unice Catoni Stoicorum partiendi et definiendi spinis maxime delectato.

Quod Aristoteles in philosophia, rhetorica, dialectica, pro Graecis egerat (3), pro popularibus suis Cicero quoque facere conatus est, ut singulis partibus propria verba inveniret, assecutus vero maxime est in dialectica: „Nos autem praeceptis dialecticorum, et oratorum etiam, — sic parentes, ut legibus, verbis quoque novis cogimur uti (4)"; — „dialecticorum" enim „verba nulla sunt publica: suis utuntur. Et id quidem commune omnium fere est artium. Aut enim nova sunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda. Quod si Graeci faciunt, qui in his rebus tot jam secula versantur; quanto id magis nobis concedendum est, qui haec nunc primum tractare conamur (5)"?

Egregie Cicero dialectices Peripateticorum rationem exposuit his verbis (6): „Scientiam nus-

---

(1) de Fin. IV, 4. Cf. de Orat. II, 38 et Kuehner, p. 137, 138. (2) de Fin. III, 12. Cf. cum hoc loco contrarium IV, 3 in f. et Stahr, II, p. 151. „Cicero," ut ait Quinctilianus, „judicium subjecit inventioni", I, O. III, c. 3, §. 9 et c. 6, §. 64. (3) Cat. c. 1 et 7, de Poët. c. 20—22, de Interp. c. 1 sqq., Nic. IV, c. 10—15. (4) Acad. I, c. 2. (5) Ib. c. 7. Cf. de Fin. III, 1 et 2. (6) Acad. I,

quam esse censebant, nisi in animi motionibus atque rationibus: qua de causa definitiones rerum probabant, et has ad omnia,[1] de quibus disceptabatur, adhibebant. Verborum etiam explicatio probabatur: id est, qua de causa quaeque essent ita nominata; quam ἐτυμολογίαν appellabant: post argumentis, et quasi rerum notis, ducibus utebantur ad probandum et ad concludendum id, quod explanari volebant: in qua tradebatur omnis dialecticae disciplina, id est, orationis ratione conclusae; huic, quasi ex altera parte, oratoria vis dicendi adhibebatur, explicatrix orationis perpetuae ad persuadendum accommodatae."

His igitur de dialectices vi praemonitis, ad singula accuratius investiganda accedentes, Ciceronis scripta evolvamus.

Libri de Inventione (1).

Quum simile esset M. Antonii libelli argumentum, procul dubio magistri auctoritate et exemplo Cicero incitatus fuisse videtur ad libros de Inventione scribendos, de quo primo virium

---

8. Cf. Arist. Anal. Post. I, 11 in f. ἡ διαλεκτικὴ (ἀποδεικνύει πάσας τὰς ἐπιστήμας). Ἡ δὲ διαλεκτικὴ οὐκ ἔστιν οὕτως ὡρισμένων τινῶν, οὐδὲ γένους τινὸς ἑνός. οὐ γὰρ ἂν ἠρώτα· ἀποδεικνύντα γὰρ οὐκ ἔστιν ἐρωτᾷν, διὰ τὸ τῶν ἀντικειμένων ὄντων μὴ δείκνυσθαι τὸ αὐτὸ, et Top. I, 2 in f. Cf. etiam Cic. de Orat. I, 42. (1) Hujus vocis auctor est Cicero, de Inv. I, 7.

periculo idem, quod Antonius (1), judicium tulit: „Ex commentariolis nostris inchoata ac rudia exciderunt" (2). Magis exercitationis causa quam edendi consilio Ciceronem, tam hoc opus, quam Topica et Oratorias Partitiones, conscripsisse, ex jejuna, quam referunt, ratione maxime apparet, ut suavitatem, qua cetera ejus scripta sunt conspicua, plane desideremus; dominatur adeo in hoc opere, quod ultimo loco indicavi, in quo magistri personam Cicero tuetur, ratio Aristotelis librorum ἀκροατικῶν, quae elegantiorum auribus minime servit.

Librorum de Inventione duo tantum, in quibus priorem dialecticae partem *inventionem* exposuit, aetatem tulerunt; posteriores autem duo, quibus alteram partem *judicandi* complexus erat, non ut priores editi, sed in commentariis, ut videtur, servati, perierunt; hos autem libros veteres typographi sub *Rhetoricae Veteris* titulo ediderunt, ut a libris ad Herennium (3), quibus *Rhetoricae Novae* nomen imposuerant, distinguerentur; cui

(1) de Orat. I, 21 et 47. Cf. Quinct. III, 1, p. 218 Burm. Edit. (2) de Orat. I, 2. De his libris Quinct. I. O. III, 6, hoc judicium tulit: ut velut regestae sint in hos commentarios, quas adolescens deduxerat, scholae. (3) Constat hodie inter interpretes hoc opus non esse Ciceronis, sed cujusdam aequalis scriptoris, sive Cornificii junioris, ut G. J. Vossio, de Nat. et Const. Rhet. c. 13, videtur, sive, ut Schutsius censet, M. Antonii Gniphonis,

distinctioni pro parte Quinctilianus (1) ansam praebuisse videtur.

Apparet ex his libris quantum in juventute jam Ciceronis fuerit investigandi studium; non enim aliquod sibi proposuit exemplum, cujus omnes partes, quocunque essent in genere, exprimeret; sed, Aristotelem (2) hac in re imitatus, omnibus in unum locum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime praecipere videbatur, excerpsit, et ex variis ingeniis excellentissima quaeque libavit (3).

Etsi non negem Ciceronem multum profecisse ex Hermagorae disciplina, inopi ad ornandum, sed ad inveniendum expedita (4), cujus tamen sententiam Aristotelis judicio postponit (5), Antonii quoque libellum et fortassis etiam libros ad Herennium praesto ei fuisse; ad Aristotelem tamen, multo commodiorem explicatorem, in cujus scriptis, ut in magno recepta-

---

cujus scholam Cicero jam quaestor frequentavit. Cff. Fuhrmann, Handbuch der Class. Litt. II, p. 88 et J. A. C. van Heusde, O. l. p. 147, 148, 171 ibique laud. Quinct. III, c. 1 et c. 5, II, c. 15. Heusdius postea sententiam mutavit in disquisitione de L. Aelio Stilone, et p. 84 sqq. Aelium hujus operis auctorem fuisse, maxime ex ipsis Ciceronis locis, probare haud infeliciter conatus est. (1) II, 14, III, 3. (2) Cic. de Inv. II, 2. (3) Ibid. (4) Brut. c. 76. (5) de Inv. I, 6 et 9. De Hermagora cf. Victorinus ad librum I, de Inv. passim.

culo, varia rhetorum praecepta, undique conquisita, invenire poterat, semper revertitur. Sed audiamus potius ipsum Ciceronem haec de se ingenue profitentem. Cum enim duo diversae essent sicut familiae, quarum altera ab Aristotele, qui rhetoricae arti plurima adjumenta atque ornamenta subministravit (1), profecta, quum versaretur in philosophia, nonnullam rhetoricae quoque artis sibi curam assumebat; altera vero, cujus princeps fuit magnus et nobilis rhetor Isocrates, cujus tamen ipsius quam constet esse artem Cicero non invenerat, omnis in dicendi erat studio et praeceptione occupata, sibi omnes, quoad facultas tulit, proposuit et ex suo quoque nonnihil in commune contulit (2).

Materiam rhetorices, quadripartitam rejiciens Hermagorae divisionem in genus *deliberativum, demonstrativum, judiciale* et *negotiale*, eam esse duxit, quam Aristoteles proposuerat, qui tribus in generibus rerum versari rhetoris officium putavit, in *demonstrativo, deliberativo, judiciali* (3).

In partibus orationis proponendis Cicero ipse

---

(1) de Inv. I, 5. Cf. Victor. p. 24 Ed. Orell. „Duo quae oratori maxime sunt necessaria Aristoteles circa scribendam artem dedit, inventionem et elocutionem. Adjumentum enim de inventione vertit, ornamentum de elocutione.“ (2) II, 2 et 3. (3) I, 5 et 6. Cf. Orat. Part. c. 20 et Arist. Anal. Post. I, 2 et passim, Rhet. I, capp. 3 in f. et sqq.; III, 12 et 17. Rhet. ad Alex, c. 3—5.

non satis sibi constitit; sex enim in his libris (1), in Oratoriis vero Partitionibus (2) quatuor tantum ei fuisse videntur, et in libro de Oratore (3), „ante oculos," inquit, „ posita esse dico, eas quatuor, quinque, sexve partes, vel etiam septem (4), (quoniam aliter ab aliis digeruntur), in quas est omnis oratio distributa." Quamvis Aristoteles in Rhetoricis quatuor partes recenseat, προοίμιον, πρόθεσιν, πίςιν (βεβαίωσιν (5), cui subjicit τὴν ἀντιπαραβολὴν) et ἐπίλογον (6); statuendum tamen, eum singula quidem accurate esse scrutatum, certam vero divisionis normam in oratione non proposuisse.

Cum omnis argumentatio, vel per *inductionem* (7), vel per *ratiocinationem*, tractanda sit; omnis vero *ratiocinatio* aliis bipartita (8) vel tripartita (9) esse, aliis quatuor (10) vel quinque partibus constare videatur; commodior Ciceroni illa partitio visa est, „quae in quinque partes (11) distributa

---

(1) I, 14, *exordium*, *narratio*, *partitio*, *confirmatio*, *reprehensio*, *conclusio*. (2) c. 8, *exordium*, *narratio*, *confirmatio*, *peroratio*. (3) II, 49. Cf. I, 31 et Quinct. I. O. lib. IV. (4) „Alii jubent, antequam peroretur, ornandi aut augendi causa, *digredi*." (5) Arist. Rhet. ad Alex. c. 33. (6) Rhet. III, 13 sqq., Rhet. ad Alex. c. 30 sqq. (7) I, 31 et 34. Cf. Arist. Top. I, 12 et Rhet. I, 2, ubi ἐπαγωγὴν ῥητορικὴν, παράδειγμα, συλλογισμὸν ῥητορικὸν, ἐνθύμημα vocat. Cf. etiam Anal. Pr. II, 27. (8) I, 40. (9) c. 35. (10) c. 39. (11) c. 37.

est, quam," ut ait, „omnes ab Aristotele et Theophrasto profecti maxime secuti sunt. Nam quemadmodum illud superius genus argumentandi, quod per *inductionem* sumitur, maxime Socrates et Socratici tractaverunt; sic hoc, quod per *ratiocinationem* expolitur, summe est ab Aristotele, atque a Peripateticis et Theophrasto frequentatum (1)."

Praecipua haec mihi esse videntur, in quibus Aristotelem Cicero in his libris secutus sit: non enim meum esse censeo, varias divisiones in partes sectas, varia argumentorum loca, quibus uterque usus est, inter se conferre, similia loca, cum attulerim, proposito muneri jam satisfecisse mihi videor. — Ut in rebus similibus saepe tamen dissidentia quaedam latent, ita quoque Cicero in nonnullis ab Aristotelis sententia recessit; quum enim huic placuisset in deliberativo genere finem esse simplicem *utilitatem*, duplicem proposuit Cicero, *honestatem* et *utilitatem*, et e tribus rerum expetendarum generibus duo tantum constituit; tertium vero, ex utilitate et honestate compositum, quia major est vis honestatis, primo generi accensuit (2). Est aliud etiam discrimen,

(1) c. 35. Cf. Arist. Anal. Priora passim, Top. I, 1 et VIII passim. (2) II, 51 et 52. Cf. Arist. Rhet. I, 4, qui (p. 1358, b. 20 sqq.) de tribus generibus orationis haec dicit: τέλος δὲ ἑκάστοις τούτων ἕτερόν ἐστι, καὶ τρισὶν οὖσι τρία· τῷ μὲν συμβουλεύοντι, τὸ συμφέρον καὶ βλαβερόν· ὁ μὲν γὰρ προτρέπων ὡς βέλτιον

ut jam monuit Victorinus (1): Aristoteles *opposita* genus posuit; *contrarium*, *disparatum*, *ad aliquid*, sub *oppositis; contrarium* porro ita definiens: „sub eodem genere species multum inter se diversae," omnia ad unum genus retulit (2); Cicero vero: „*contrarium* est," inquit, „quod positum in genere diverso, *ab eodem*, cui contrarium esse dicitur, plurimum distat (3).

Universe monendum, Aristotelis omnia accurate secernendi methodum imprimis in his libris Ciceronem esse secutum; hoc enim maxime cavendum esse censuit, ne, cujus genus posuerit, ejus secum aliquam sicut diversam ac dissimilem partem ponat in eadem partitione; hinc quoque quae Aristotelis ἀκροατικῶν fuit ratio, methodus illa, ut ita dicam, analytica atque demonstrans (4), hic quoque occurrit, ut, quum ad primam quamque partem primum accedat, omnia, de quibus disserendum esse sibi videatur, proponat, deinde ad singulas partes accedat, et, omnibus absolutis, peroret, quae exposuerit summatim comprehendens (5).

συμβουλεύει, ὁ δὲ ἀποτρέπων ὡς χεῖρον ἀποτρέπει, τὰ δ᾽ ἄλλα πρὸς τοῦτο συμπαραλαμβάνει, ἢ δίκαιον ἢ ἄδικον, ἢ καλὸν ἢ αἰσχρόν κ. τ. λ. (1) p. 85. (2) Cat. c. 10 et 11: δῆλον ὅτι καὶ περὶ ταὐτὸν ἢ εἴδει ἢ γένει πέφυκε γίνεσθαι τὰ ἐναντία. (3) de Inv. I, 28. (4) Wytt. Praec. Phil. Log. p. 100. (5) de Inv. I, 23.

Topica.

Ciceronis Topica esse rhetorica, Aristotelis vero, quae supersunt, mere dialectica, Ciceronem igitur hausisse ex deperditis Aristotelis Topicis rhetoricis, satis apparet, tum e diversitate doctrinarum, quae utriusque opere, quod superest, tractantur, tum ex hoc ipsius Ciceronis de Oratore (1) loco, quo hujus duplicis generis, licet verbo tantum, meminit: „Aristoteles — proposuit quosdam locos ex quibus omnis argumenti via, non modo ad philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc, qua in causis utimur, inveniretur." (2) Monuit jam Antonius Quaerengus (quem laudat Allatius in Apibus Urbanis, p. 45): Aristotelis, quos habemus, Topicorum libros non eos videri, ex quibus Cicero et Themistius suam locorum enumerationem desumserunt (3), praeterea, ut animadvertit Lyndenus (4): „Aristoteles ipse, Lib. I Priorum Anal. c. 1

---

(1) II, 36. (2) Cf. F. G. van Lijnden, Int. Jur. Tull. in Top. p. 13 et J. Facc. Inst. Log. Per. p. 187. (3) Fabric. Bibl. Graeca, II, p. 202. Cf. Plut. Symp. lib. I, quaest. 2, p. 616 D. (4) p. 12 et 13. Cf. Patritius, Disc. Per. Tom. I, sect. III, p. 22 et J. Th. Buhle, Comm. de libr. Arist. dep. vol. XV, Comm. Gött. p. 76, qui contrariam sententiam amplectitur.

et lib. I. Rhet. c. 2, locos tales e Topicorum suorum libris affert, qui in iis, quos nunc habemus, nusquam reperiuntur"; Simplicius quoque (1) hoc judicium, Ciceronis sententiae prorsus contrarium, tulit: δῆλον δὲ καὶ ἐξ ὧν, ἐν οἷς ἐβουλήθη, σαφέστατα ἐδίδαξεν, ὡς ἐν τοῖς μετεώροις καὶ τοῖς τοπικοῖς; qui inanis magis quam verus dissensus, quum ipse Simplicius (2) alio loco τῶν ἀκροατικῶν ἀσάφειαν praedicet, unice ita conciliari potest, ut dicamus, illud σαφέστατα non absolute, sed relative esse accipiendum, comparatione instituta cum ceteris scriptis ἀκροατικοῖς. Errant igitur qui hoc Ciceronis opus dialecticae adscribant, cum ad dicendi artem potius spectet; nam de dialectica sive logica ab eo confecta haud somniandum (3).

Ut amico saepius roganti justum debitum solveret, Cicero, Antonii metu in Graeciam proficiscens, hanc, quasi epistolam, quum secum libros non haberet, in ipsa navigatione conscripsit. Intelligitur facile ex his quam diligenter Cicero Aristotelis Rhetorica scripta lectitave-

(1) Prol. Comm. ad Arist. Cat. Cf. Patr, O. l. l. III, p. 15. (2) Comm. ad Arist. Phys. l. I, p. 2. (3) Brücker, O. l. II, p. 46, Wytt., O. l. p. 99, Kuehner, O. l. p. 62, Stahr, A. b. d. R. p. 43 et 48. Cff. etiam catalogus Aristotelis librorum apud Diog. Laërt. V, 23, 24, Men. ad h. l. et Sam. Petiti, II, c. 2, Obs. p. 172 sqq.

rit, quum gravissimum illum Topicorum locum, juris perito e sua sententia utilissimum (1), aliis, ut ipse fatetur, occupatus, memoriter ita tradere potuerit (2).

„Incidisti," ut ait Cicero (3), „in Aristotelis Topica quaedam, quae sunt ab illo pluribus libris explicata. Qua inscriptione commotus, continuo a me eorum librorum sententiam requisisti. Quam tibi quum exposuissem, disciplinam inveniendorum argumentorum, ut sine ullo errore ad eam rationem via perveniremus ab Aristotele inventa, libris illis contineri: verecunde tu quidem, ut omnia, sed tamen facile ut cernerem te ardere studio, mecum, ut tibi illa traderem, egisti. Cum autem ego te, non tam vitandi laboris mei causa, quam quod id tua interesse arbitrarer, vel ut eos per te ipse legeres, vel ut totam ratio-

---

(1) de Orat. I, 42. (2) ad Fam. VII, Ep. 19: „Quod praesenti tibi prope subnegaram, non tribueram certe, id absenti debere non potui. Itaque, ut primum Velia navigare coepi, institui Topica Aristotelia conscribere, ab ipsa urbe commonitus amantissima tui. Eum librum tibi misi Rhegio, scriptum, quam planissime res illa scribi potuit. Sin tibi quaedam videbuntur obscuriora, cogitare debebis nullam artem literis sine interprete, et sine aliqua exercitatione percipi posse. — Quamquam tu, si attente leges, si saepius, per te omnia consequere, ut certe intelligas. Ut vero etiam ipsi tibi loci, proposita quaestione, occurrant, exercitatione consequere." (3) Top. c. 1.

nem a doctissimo quodam rhetore acciperes, hortatus essem: utrumque, ut ex te audiebam, es expertus. Sed a libris te obscuritas rejecit. Rhetor autem ille magnus, haec, ut opinor, Aristotelica se ignorare respondit. Quod quidem minime sum admiratus, eum philosophum rhetori non esse cognitum, qui ab ipsis philosophis, praeter admodum paucos, ignoretur. Quibus eo minus ignoscendum est, quod non modo rebus iis, quae ab illo dictae et inventae sunt, allici debuerunt, sed dicendi quoque incredibili quadam cum copia, tum etiam suavitate." Egregium sane Aristotelis Topicorum elogium, quem locum non potui non totum hic referre.

Maxime igitur Cicero locos, ab Aristotele appellatos quasi sedes, e quibus argumenta promantur (1), in hoc opere invenire studuit, in quo, non servili modo Aristotelem secutus, teste Boëthio (2), nonnulla de suo addidisse videtur. Idem quoque hoc loco observandum, quod in libris de Inventione jam monui, Ciceronem

---

(1) Cf. Orat. c. 14, Top. c. 8. „Hoc idem Aristoteles σύμβολον appellat, quod Latine est nota", Quinct. I. O. XI, 2, §. 21. (2) Comm. l. I, Vol. V, p. I, p. 282, 283 Orell. Edit.: „Aristoteles namque de maximis propositionibus disserit: has enim locos argumentorum esse posuit. Tullius vero locos non maximas propositiones, sed earum continentes differentias vocat ac de his docere contendit. Cf. p. 280, 281.

inter *opposita* et *contraria* non accurate distinxisse; quae enim ἀντικείμενα (1) vocat Aristoteles, ab eo *contraria* dicuntur.

Cum Aristoteles quatuor causarum genera constituerit: *movendi principium* (τὴν ἀρχὴν τῆς μεταβολῆς), *materiam ex qua fit aliquid* (τὴν ὕλην τῶν σκευαςῶν), *rationem ac speciem, qua unumquodque formatur* (τὸ εἶδος καὶ τὸ παράδειγμα) et *finem propter quem quodlibet efficitur* (τὸ τέλος, τὸ οὗ ἕνεκα) (2); Cicero causarum duo tantum genera esse censet: unum *quod vi sua, id quod sub ea subjectum est, certo efficit:* alterum *quod naturam efficiendi non habet, sed sine quo effici non possit* (3); hinc quoque, ut ait Boëthius (4): „Casus exterior causa nec inter principales annumeratur secundum Aristotelem (5). Secundum M. Tullium (6) vero casus est latens effectae rei causa;" quae causae naturam efficiendi non habent.

---

(1) Arist. Top. V, 6. τὰ ἀντικείμενα, πρῶτον μὲν ἐκ τῶν ἐναντίων, δεύτερον δ' ἐκ τῶν πρός τι, τρίτον τὸ καθ' ἕξιν καὶ κατὰ ςέρησιν λεγόμενον, ἔπειτα ἐκ τῶν καταφάσεων καὶ τῶν ἀποφάσεων, ἐκ τῶν κατηγορουμένων, ἢ μὴ κατηγορουμένων, ἐξ αὐτῶν τῶν ὑποκειμένων, ἐκ τῶν ἀντιδιῃρημένων. Cf. Cic. Top. c. 11 et disp. n. p. 60. (2) Nat. Ausc. II, 3. Cf. Anal. Post. II, 1 init. (3) Top. c. 13. Cf. Boëthius, p. 367. (4) p. 371. Cf. Stahr, A. b. d. R. p. 208. (5) Nat. Ausç., II, 6 in f. (6) Top. c. 17.

Dialectices ratio in ceteris Ciceronis scriptis.

Ob summum dialectices cum eloquentia ceterisque doctrinis vinculum in aliis quoque Ciceronis scriptis, imprimis vero in libris de Oratore, multa dialectices praecepta deprehendimus. Inveniendi adeo partes traduntur Antonio, qui omnia, e quibus argumenta ad judicum animos movendos et conciliandos erui possint, persequitur: „Locis" enim „in mente et cogitatione defixis, et in omni re ad dicendum posita excitatis, nihil erit, quod oratorem effugere possit, non modo in forensibus disceptationibus, sed omnino in ullo genere dicendi" (1). Ut Aristoteles in Rhetoricis (2), ita Cicero in libris de Oratore sub Antonii persona eadem attingit, quae fusius in libris de Inventione exposuerat.

Quum Antonius initio suae disputationis duo tantum prima genera quaestionum, in quibus eloquentia versaretur, unum infinitum, alterum certum, esse statuisset; tertium vero, a Crasso libro primo tactum, ab Aristotele quoque adjunctum, ut minus necessarium rejiciens vel potius secernens (3), suasionum praecepta cum laudationibus conjunxisset; Cicero his Crassi verbis suam sententiam expressit (4): „Esse etiam genus

(1) de Orat. II, 41. Cf. disp. n. p. 27. (2) Rhet. II, 23. (3) de Orat. II, 10 et 84. (4) Ibid. I, 31. Cff. III, 27, de Inv. I, 8, Top. c. 21.

tertium, quod in laudandis aut vituperandis hominibus poneretur: certosque esse locos, quibus in judiciis uteremur, in quibus aequitas quaereretur: alios in deliberationibus, qui omnes ad utilitatem dirigerentur eorum, quibus consilium daremus: alios item in laudationibus, in quibus ad personarum dignitatem omnia referrentur"; ita quoque Aristoteles (1) suasiones generi deliberativo, laudationes demonstrativo accenset.

De utroque genere quaestionum Cicero in Oratore agens: „Aristoteles," inquit, in hac quaestione, quae „a propriis personis et temporibus, ad universi generis orationem traducta, appellatur θέσις (2), adolescentes, non ad philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad copiam rhetorum, in utramque partem, ut ornatius et uberius dici posset, exercuit: idemque locos (sic enim appellat) quasi argumentorum notas tradidit, unde omnis in utramque partem traheretur oratio" (3). Altera vero quaestio est in augendis amplificandisque rebus, a Graecis αὔξησις nominata, „quae, etsi aequabiliter toto corpore orationis fusa esse debet, tamen in communibus locis maxime excellet." — „Augendis vero rebus, et contra abjiciendis, nihil est, quod non perficere possit oratio: quod et inter media argumenta faciendum est, quotiescunque dabitur vel amplifi-

(1) Rhet. I, 3. Cf. Quinct. I. O. III, c. 4, § 2 et c. 5. (2) Arist. Anal. Post. I, 2, p. 72, a. 15 sqq. (3) c. 14. Cf. de Orat. II, 53.

candi, vel minuendi locus, et paene infinite in perorando" (1). Ceterum Cicero in diversis scriptis, ut in libris de Inventione (2), de Oratore (3), de Finibus (4), in Topicis (5), in Oratoriis etiam Partitionibus (6), de hoc utroque genere locutus est.

Aristoteles initio libri secundi Analyticorum Posteriorum (7) quaestionum tot genera esse statuerat, quot numero sunt ea, quae scimus: *quod sit* (τὸ ὅτι), *cur sit* (τὸ διότι), *an sit* (εἰ ἔστιν) et *quid sit* (τί ἐστιν); Cicero (8) vero, tria tantum genera admittens, quartum *cur sit* ad qualitatem retulit. „Ita," ut ait Cicero, „tria sunt omnino genera, quae in disceptationem et controversiam cadere possunt: *quid fiat*, *factum*, *futurumve sit*, aut: *quale sit*, aut: *quomodo nominetur*. Nam et illud quidem, quod quidam Graeci adjungunt: *Rectene factum sit*, totum in eo est, quo: *quale sit*, quaerimus."

Tam de Aristotelis Analyticis quam de ejus

(1) c. 36. Cf. de Orat. III, 30 et Quinct. II, 1, 9, III, 5, 15 sqq. (2) I, 6. (3) I, 31, II, 15. (4) IV, 3 ibique Madvigius, p. 493. (5) c. 21: „*Definitum* est, quod ὑπόθεσιν Graeci, nos *causam*: *infinitum*, quod θέσιν illi appellant, nos *propositum* possumus nominare." Cf. Arist. Anal. l. l. (6) c. 18. (7) c. 1. (8) de Orat. II, 24 in f., 26 in f., Orat. c. 14 et de Fin. IV, 3: „facti aut juris aut nominis controversia"; ad q. l. cf. Madvigius, p. 493; coll. etiam Quinct. I. O, III, 6, p. 260 Edit. Burm.

libro *περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων* cogitasse Cicero videtur, ubi, libro quarto de Finibus, (1) Peripateticorum merita, in definiendo, argumentando et concludendo celebrat, quod maxime haec ejus verba declarant: „Quanta autem varietas argumentorum ratione concludentium eorumque cum captiosis interrogationibus dissimilitudo."

Dialectices parti de inventione Cicero, libro secundo de Oratore, totum locum de jocis et facetiis, a Caesare tam fuse atque lepide expositum, accenset; in his autem, quae ex Aristotele profecerit, deperditis libris Poëticis, in quibus data opera de hoc argumento egisse videtur (2), judicare nobis non licet; in Rhetoricis (3) enim haec striotim attingenda esse duxit (4).

---

(1) c. 4 ibique Madv. p. 497. (2) Arist. Rhet. I, 11 in f. *διώρισαι δὲ περὶ γελοίων χωρὶς ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς.* Cf. fragmentum de Poëtica, c. 5. (3) III, 18. Cff. quos citat Harles, de Orat. II, 54, p. 317, nota 2. (4) de Ciceronis dialectica cff. Kuehner, p. 136 sqq. et Tenn. O. l. IV, p. 397.

CAPUT III.

CICERO ORATOR.

De Eloquentiae cum Dialectica cognatione.

Egregie Aristoteles de eloquentia meritus est cum eam dialectices ἀντίστροφον esse statueret: ἀμφότεραι γὰρ περὶ τοιούτων τινῶν εἰσὶν, ἃ κοινὰ τρόπον τινὰ ἁπάντων ἐστὶ γνωρίζειν καὶ οὐδεμιᾶς ἐπιστήμης ἀφωρισμένης (1); est enim eloquentia, ex ejus sententia: δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν (2). Aristoteles, quum orato-

(1) Rhet. I, 1 init. Cf. Suidas, voce ἀντίστροφος. (2) Ibid. c. 2 init. ὑποδύεται ὑπὸ τὸ σχῆμα τὸ τῆς πολιτικῆς ἡ ῥητορική ἐστι γάρ μόριόν τι τῆς διαλεκτικῆς καὶ ὁμοίωμα. Ibid. p. 1356, a. 27.

rem κατὰ τὴν προαίρεσιν, dialecticum οὐ κατὰ τὴν προαίρεσιν, ἀλλὰ κατὰ τὴν δύναμιν (1) esse existimaret, διττοὺς σκοποὺς, ut ait Diogenes Laërtius, τὸ πιθανὸν (2) καὶ τὸ ἀληθὲς, in libris suis spectavit: Δύο πρὸς ἑκάτερον δυνάμεσιν ἐχρήσατο, διαλεκτικῇ μὲν καὶ ῥητορικῇ πρὸς τὸ πιθανόν, ἀναλυτικῇ δὲ καὶ φιλοσοφίᾳ πρὸς τὸ ἀληθές (3). Τὰς πίστεις igitur eloquentiae fines esse censens (4), eas in ἀτέχνους et ἐντέχνους dividit, quarum illae, judiciis propriae, quinque numero, νόμοι, μάρτυρες, συνθῆκαι, βάσανοι, ὅρκος (5), hae, duplicis generis, παράδειγμα et ἐνθύμημα (6) (σῶμα τῆς πίστεως (7)). Ita syllogistice procedens, τῶν διὰ τοῦ λόγου ποριζομένων πίστεων tria genera recenset: αἱ μὲν ἐν τῷ ἤθει τοῦ λέγοντος, αἱ δὲ ἐν τῷ τὸν ἀκροατὴν διαθεῖναί πως, αἱ δὲ ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ, διὰ τοῦ δεικνύναι ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι; tria autem per πίστεις spectat orator τὰ περὶ τὰ ἤθη καὶ τὰς ἀρετὰς καὶ τρίτον τὰ περὶ τὰ πάθη; hinc eloquentia παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πραγματείας (ἣν δίκαιόν ἐστι προσαγορεύειν πολιτικήν) ei esse vide-

---

(1) Rhet. I, 1 in f. (2) τὸ πιθανόν Aristoteli esse proprium testatur Plut. vita Cat. Maj. p. 354 A et Coriol. p. 234 D. Cf. Stahr, II, p. 181. (3) Diog. Laërt. V, 28. (4) Rhet. II, 18 init. ἡ τῶν πιθανῶν λόγων χρῆσις πρὸς κρίσιν ἐστί. (5) Ib. I. 15. (6) I, 2. Cf. Anal. Post. passim et Probl. Sect. 18, §. 3. (7) Rhet. I, 1.

tur (1). Cum autem tria sint genera auditorum ἐκκλησιαςὴς (περὶ τῶν μελλοντῶν κρίνων), κριτὴς (περὶ τῶν γεγενημένων) et θεωρὸς (περὶ τῆς δυνάμεως); tria quoque, ut jam monui (2), posuit orationum genera, τὸ συμβουλευτικὸν, τὸ δικανικὸν, τὸ ἐπιδεικτικόν (3). Haec praemonenda esse duxi, ut comparatione instituta, Aristoteliorum praeceptorum vis in Cicerone oratore magis eluceat.

Cicero, philosophandi scientiam concedens multis, quod est oratoris proprium, apte, distincte, ornate dicere, in quo studio aetatem consumserat, sibi assumens (4), non ex rhetorum officinis, sed ex media philosophia profectus, eloquentiam quoque totam ex dialectica duxit et Aristotelis sententiam, quam modo attuli, summis laudibus celebravit: „Esse igitur perfecte eloquentis puto, non eam solum facultatem habere, quae sit ejus propria, fuse lateque dicendi, sed etiam vicinam ejus, atque finitimam, dialecticorum scientiam assumere. Quamquam aliud videtur oratio esse, aliud disputatio; nec idem loqui esse, quod dicere: attamen utrumque in disserendo est. Disputandi ratio, et loquendi, dialecticorum sit: oratorum autem, dicendi et ornandi.

---

(1) Ib. I, 2, p. 1356, a. 1 sqq. (2) disp. n. p. 57. (3) Rhet. I, 3 init. Cf. Ph. G. van Heusde, Init. Phil. Plat. II, II, p. 152, 153. (4) de Off. I, 1.

Zeno quidem ille, a quo disciplina Stoicorum est, manu demonstrare solebat, quid inter has artes interesset. Nam cum compresserat digitos, pugnumque fecerat, dialecticam ajebat ejusmodi esse: quum autem diduxerat, et manum dilatarat, palmae illius similem eloquentiam esse dicebat. Atque etiam ante hunc Aristoteles principio artis rhetoricae dicit, illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticae: ut hoc videlicet differant inter se, quod haec ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior." (1) Eandem sententiam, quae mirifice Ciceroni placebat, retulit iisdem paene verbis in libris de Finibus (2), in Oratoriis Partitionibus (3), in Bruto (4), ubi dialecticam a se quoque studiosissime exerceri profitetur. „Adhibebant enim," ut Heusdii (5) verbis utar, „oratores dialecticam, quo magis sententiam suam civibus persuaderent: philosophi autem, cum nihil in civitatibus illis eloquentiâ haberetur majus et illustrius, et juvare oratores studebant, ut in tantae gloriae societatem pervenirent quodammodo, et ipsi scribendo dicendoque cum illis de eloquentiae palma concertabant. Verumtamen factum ita simul est, ut tanto splendore elucentes hae artes obscurarent plane simplicem veritatis

(1) Orat. c. 32. (2) II, 6. Cff. IV, 4. Acad. I, 8, disp. n. p. 53 et 54. (3) c. 40. In quo opere Cicero eloquentiae et dialectices cognationem egregie exposuit. (4) c. 90. (5) Init. II, II, p. 92. Cf. Arist. Probl. sect. 18, § 5.

investigationem: haec negligeretur, illa vero istis adhiberetur argumentis maxime, quae maxime veritati repugnarent. Id enim dialectici, id oratoris summa habebatur laus, ut, quae essent falsa, haec dicendo efficeret, ut vera viderentur."

De Eloquentia, doctrinarum vinculo.

Ut Plato artium et disciplinarum, ita Aristoteles doctrinarum instaurator fuit, ad quod ἐπαγωγῆς alter, alter συλλογιστικῆς ope pervenit; quamvis igitur ex utroque profecerit Cicero, dialectica usus quasi saepimento aliquo (1); Aristoteles tamen, qui primus doctrinas cernendi jungendique facultate in genera et species distribuit, qui cuivis praescribere doctrinae studuit, qua ratione et via optime tractanda videretur (2), ad oratorem, omnes doctrinas quasi communi vinculo constringentem, detractis omnibus vitiis, omni laude cumulatum (3), fingendum, Ciceronem maxime duxit.

Hujus igitur disquisitionis, cum tanta vis sit, intelligitur facile haud immerito libros de Oratore omni aevo summis laudibus fuisse celebratos (4), nec temere Ciceronem in iis conscribendis mirifice sibi placuisse (5).

---

(1) Cf. imprimis de Legg. I, 24. (2) Cf. Ph. G. van Heusde, Char. p. 158. (3) de Orat. I, 26. (4) Cf. imprimis Nautae et Thorbeckii Comm. in Ann. Acad. Traj. (5) ad Att. XIII, Ep. 19, ad

Docuerat jam Aristoteles dialecticam communi vinculo doctrinas omnes complecti (1), verissimas discernendi conjungendique leges constituerat, et methodum induxerat, qua et disputaretur de doctrinis, et scriberetur (2). Itaque quum omnem scientiam (ἐπιςήμην) vel πρακτικὴν, vel ποιητικὴν, vel θεωρητικὴν esse censeret (3), doctrinis vero practicis τὴν ςρατηγικὴν, τὴν οἰκονομικὴν et τὴν ῥητορικὴν intelligeret, eas omnes τῇ πολιτικῇ, utpote τῇ τῶν ἐπιςημῶν κυριωτάτῃ καὶ μάλιςα ἀρχιτεκτονικῇ (4), subjecit.

Cicero in libris de Oratore, in Oratore, in Bruto optimos quosque antiquitatis philosophos animo complexus, et, teste Plutarcho (5), πολυμαθὴς καὶ ποικίλος τῇ περὶ τοὺς λόγους σπουδῇ γενόμενος, philosophiam in eloquentiam migrare coëgit. Veteres enim perstringens philosophos, qui, cum omnes una paene voce oratorem a gubernaculis civitatum repellerent, et ab omni doctrina rerumque majorum scientia excluderent, eum tantum in judicia et conciunculas, tanquam in aliquod

---

Fam. I, Ep. 9, §. 23. In coelum ferre Atticus hos Ciceronis libros, et in iis Aristotelium morem, usum prooëmiorum in singulis libris, laudare solebat. Cff. ad Att. IV, Ep. 16, XVI, Epp. 11 et 14 et Hulleman, diss. laud. p. 180 sqq. (1) An. Post. I, 11 in f. (2) Ph. G. van Heusde, Char. p. 158, 159. (3) Met. V, 1 et 2. (4) Nic. I, 1. (5) Comp. Dem. cum Cic. c. 1. Cf. Cic. Orat. c. 3.

pistrinum, detrudere et compingere studebant (1), illis cognitionem rerum concessit, quod in ea solum illi voluerint elaborare; tractationem vero orationis, quae sine illa scientia nulla est, oratori assumendam esse duxit: „hoc enim," inquit, „est proprium oratoris; oratio gravis, et ornata, et hominum sensibus ac mentibus accommodata. Quibus de rebus Aristotelem et Theophrastum scripsisse fateor" (2).

Universe monendum, utrumque altius Platone, qui philosophiam *τῶν ἐγκυκλίων μαθημάτων* dominam esse duxerat (3), evolare studuisse, dissimili tamen prorsus ratione, Ciceronem perfecto oratore informando, Aristotelem vero nova doctrina condenda *τῇ πρωτῇ φιλοσοφίᾳ*, a recentioribus, quod *μετὰ τὰ φυσικὰ* vel *ὑπὲρ τὰ φυσικὰ* tractatur, *μεταφυσικὴ* dicta (4), quam doctrinarum omnium *καθολικωτάτην* (5), *ἀρχικωτάτην* (6), *τιμιωτάτην* (7), *σοφίαν περὶ τὰ πρῶτα αἴτια καὶ τὰς ἀρχὰς* (8), *μόνην αὔτην αὑτῆς ἕνεκεν*, et, tamquam *οὐσίαν ἀκίνητον*, omnibus generibus et naturis communem (*καθόλου πασῶν κοινήν*) esse voluit. (9)

Jam in juventute Cicero, cum magnum quid

---

(1) de Orat. I, 11. (2) Ib. c. 12 et 13. (3) Ph. G. van Heusde, Init. I, p. 64 et II, II, p. 31. (4) Met. I. l. (5) III, 1. (6) I, 2, p. 982, b. 4. (7) Nic. VI, 7. (8) Met. I, 1 in f. (9) Met. V, 1 in f. Cf. Ph. G. van Heusde, Init. II, III, p. 68 sqq. et Arist. Nic. VI, 3.

esse eloquentiam suspicaretur, haesitabat quam maxime utrum ars, an studium, exercitatio, facultas a natura profecta, sit dicenda (1); ex his autem angustiis expediverunt eum philosophiae studia, et, missis nominum argutiis, ipsius eloquentiae vim cognoscere coepit (2).

Eloquentiam igitur vocans: „unam de summis virtutibus, cogitandi pronuntiandique rationem, sapientiam (3), rem facultate praeclaram, arte mediocrem (4), pacis comitem, otiique sociam, et jam bene constitutae civitatis quasi alumnam quandam (5), dominam rerum praeclaram, divinam (6), flexanimam, omnium reginam rerum (7)", et quae plura attulit ejusdem notae vocabula (8), ejus vim tantam esse existimavit, „ut omnium rerum, virtutum, officiorum, omnisque naturae, quae mores hominum, quae animos, quae vitam continet, originem, vim mutationesque teneat; eadem morem,

---

(1) de Inv. I, 2, Brut. c. 6. (2) de Orat. I, 18 sqq., II, 7, III, 14. Cf. Arist. Rhet. I, 1, p. 1355, b. 7 sqq. (3) de Orat. III, 14, 15. Cf. I, 18, de Inv. I, 1 et Quinct. I. O. II, 20, §. 10. (4) de Orat. II, 7. (5) Brut. c. 12. „Itaque ait Aristoteles, cum sublatis in Sicilia tyrannis, res privatae longo intervallo judiciis repeterentur, tum primum, quod esset acuta illa gens, et controversa naturâ, artem et praecepta Siculos, Coracem et Tisiam, conscripsisse." (6) de N. D. II, 59. (7) de Orat. II, 44. (8) Orat. c. 29. de Off. II, 14, de Orat. I, 9, Brut. c. 6.

leges, jura describat, rem publicam regat, omniaque, ad quamcumque rem pertineant, ornate copioseque dicat" (1).

Intelligitur ex his, Ciceronem in ἐγκυκλοπαιδείᾳ sua, ut ita dicam, condenda, tam Platonis de artium, quam Aristotelis de doctrinarum vinculo sententiam respexisse; quod ut planius perspiciatur, egregiam Crassi (2), vel potius Ciceronis, de oratore sententiam, quamvis paullo longiorem, adscribere juvat: „Intuendi nobis sunt non solum oratores, sed etiam actores, ne mala consuetudine ad aliquam deformitatem pravitatemque veniamus. Exercenda est etiam memoria, ediscendis ad verbum quam plurimis et nostris scriptis et alienis. — Educenda deinde dictio est ex hac domestica exercitatione et umbratili, medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra, atque in aciem forensem: subeundus usus omnium, et periclitandae vires ingenii; et illa commentatio inclusa in veritatis lucem proferenda est. Legendi etiam poëtae, cognoscenda historia, omnium bonarum artium scriptores atque doctores et legendi, et pervolutandi, et exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi; disputandumque de omni re in contra-

(1) de Orat. III, 20. (2) de Orat. I, 34. De hoc lato oratoris munere cff. maxime Ciceronis loca de Orat. I, 15 et 28, II, 8, 9 et 29, III, 5 et 6, Orat. c. 14, de Off. I, 37, II, 14, de Legg. I, 24, Orat. Part. c. 40.

rias partes, et, quicquid erit in quaque re, quod probabile videri possit, eliciendum atque dicendum Perdiscendum jus civile, cognoscendae leges, percipienda omnis antiquitas, senatoria consuetudo, disciplina rei publicae, jura sociorum, foedera, pactiones, causa imperii cognoscenda est: libandus etiam ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos; quo, tanquam sale, perspergatur omnis oratio."

Hinc quoque Cicero, ultimo libro de Finibus (1), e Pisonis persona, tam Academicos quam Peripateticos veteres, quorum princeps Aristoteles, sequendos esse censens: „Ex eorum," inquit, „scriptis et institutis cum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis ornatus possit accedere. Ab his oratores, ab his imperatores, ac rerum publicarum principes exstiterunt. Ut ad minora veniam, mathematici, poëtae, musici, medici denique ex hac tanquam ex omnium artium officina profecti sunt." Idem Cicero spectasse videtur cum, Bruto obsecuturus, Oratorem suum conscriberet, et in libris de Republica egregium civem et optimam rei publicae formam proponeret.

---

(1) c. 3. Huic similis locus est l. IV, c. 2 et 3. Cf. etiam de Orat. I, 10 et II, 38.

De Aristotelio more.

Ad hanc gravissimam quaestionem, dialectices cum eloquentia conjunctione ipsaque eloquentiae expositione pro parte jam solutam, uberius pertractandam, sponte via, quam ingressi sumus nos perduxit. „Cicero" enim, ut monuit Kuehnerus (1), „in dialogis suis socraticam quidem contra alterius opinionem disserendi consuetudinem sequutus est, sed tamen magis ad Aristotelis rationem accessit." — „Hanc" enim „subtiliter interrogandi et respondendi rationem rarius adhibuit, sed copiosius quoddam et uberius atque fusum genus sequutus est: qui erat mos Ἀριςοτέλειος."

Deperditis non tantum Aristotelis, sed discipulorum etiam dialogis, e veterum sententiis quales fuerint judicare cogimur. A Platonis ratione Aristotelem in dialogis dissedisse, tum ex varia utriusque philosophandi ratione, ex invidia, qua alter alterum prosequi solebat, efficere licet (2), tum maxime intelligitur ex iis, quae jam observavit Basilius Magnus, eruditus ecclesiae doctor (3): τῶν ἔξωθεν φιλοσόφων οἱ τοὺς διαλόγους συγγράψαντες, Ἀριςοτέλης μὲν καὶ Θεόφραςος εὐθὺς αὐτῶν ἤψαντο τῶν πραγμάτων διὰ τὸ συνειδέναι ἑαυτοῖς τῶν Πλατονικῶν χαρίτων τὴν ἔνδειαν. Πλά-

(1) O. l. p. 149 et 150. Cff. quae attulit Ciceronis loca. (2) Stahr, Arist. I, p. 55, II, p. 285. (3) Epist. CLXVII, Tom. Opp. III, p. 187 C.

των δὲ τῇ ἐξουσίᾳ τοῦ λόγου ὁμοῦ μὲν τοῖς δόγμασι μάχεται· ὁμοῦ δὲ καὶ παρακωμῳδεῖ τὰ πρόσωπα. — Ὅπου δὲ ἀόριστα πρόσωπα ἐπεισάγει τοῖς διαλόγοις, τῆς μὲν εὐκρινείας ἕνεκεν τῶν πραγμάτων κέχρηται τοῖς προσδιαλεγομένοις, οὐδὲν δὲ ἕτερον ἐκ τῶν προσώπων ἐπεισκυκλεῖ τοῖς ὑποθέσεσιν, ὅπερ ἐποίησεν ἐν τοῖς Νόμοις. Ex quo loco hoc mihi videor effici, rationem quam ἐν τοῖς Νόμοις secutus est Plato, proxime ad Aristotelis rationem accessisse; quod ut accuratius exquiram, duo ex Aristotelis dialogis, quae etiamnunc supersunt fragmenta, apponere mihi liceat, quorum alterum apud Plutarchum (1), ex Eudemo sive dialogo de animo: Διόπερ, ὦ κράτιστε πάντων καὶ μακαριστότατε, καὶ πρὸς τῷ μακαρίους καὶ εὐδαίμονας εἶναι τοὺς τετελευτηκότας νομίζειν, καὶ τὸ ψεύσασθαί τι κατ᾽ αὐτῶν καὶ τὸ βλασφημεῖν οὐχ ὅσιον, ὡς κατὰ βελτιόνων, ἡγούμεθα, καὶ κρειττόνων ἤδη γεγονότων· καὶ ταῦθ᾽ οὕτως ἀρχαῖα καὶ παλαιὰ διατελεῖ νενομισμένα παρ᾽ ἡμῖν, ὥστε τὸ παράπαν οὐδεὶς οἶδεν οὔτε τοῦ χρόνου τὴν ἀρχὴν, οὔτε τὸν θέντα πρῶτον, ἀλλὰ τὸν ἄπειρον αἰῶνα τυγχάνουσι διὰ τέλους οὕτω νενομισμένα· πρὸς δὲ δὴ τούτοις διὰ στόματος ἐν τοῖς ἀνθρώποις ὁρᾷς, ὡς ἐκ πολλῶν ἐτῶν, ἐκ παλαιοῦ χρόνου περιφέρεται θρυλλούμενον. Τί τοῦτ᾽; ἔφη. Κἀκεῖνος ὑπολαβὼν. Ὡς

(1) Cons. ad Apoll. c. 27, Vol. II, p. 765.

ἄρα μὴ γίνεϑαι μὲν, ἔφην (1), ἄριϛον πάντων, τὸ δὲ τεθνᾶναι τοῦ ζῆν ἔϛι κρεῖττον· καὶ πολλοῖς οὕτω παρὰ τοῦ δαιμονίου μεμαρτύρηται· τοῦτο μὲν ἐκείνῳ τῷ Μίδᾳ λέγουσι δήπου μετὰ τὴν θήραν, ὡς ἔλαβε τὸν Σειληνὸν, διερωτῶντι καὶ πυνθανομένῳ, τί ποτέ ἐϛι τὸ βέλτιον τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τί τὸ πάντων αἱρετώτατον, τὸ μὲν πρῶτον οὐδὲν ἐθέλειν εἰπεῖν, ἀλλὰ σιωπᾷν ἀῤῥήτως· ἐπειδὴ δέ ποτε μόλις πᾶσαν μηχανὴν μηχανώμενος προσηγάγετο φθέγξαϑαί τι πρὸς αὐτὸν, οὕτως ἀναγκαζόμενος εἰπεῖν. Δαίμονος ἐπιπόνου καὶ τύχης χαλεπῆς ἐφήμερον σπέρμα, τί με βιάζεϑε λέγειν, ἃ ὑμῖν ἄρειον μὴ γνῶναι; μετ' ἀγνοίας γὰρ τῶν οἰκείων κακῶν ἀλυπότατος ὁ βίος· ἀνθρώποις δὲ πάμπαν οὐκ ἔϛι γένεϑαι· τὸ πάντων ἄριϛον, οὐδὲ μετασχεῖν τῆς τοῦ βελτίϛου φύσεως· ἄριϛον γὰρ πᾶσι καὶ πάσαις τὸ μὴ γένεϑαι· τὸ μέντοι μετὰ τοῦτο καὶ τὸ πρῶτον τῶν ἄλλων ἀνυστὸν, δεύτερον δὲ τὸ γενομένους ἀποθανεῖν ὡς τάχιϛα. Δῆλον οὖν ὡς οὔσης κρείττονος τῆς ἐν τῷ τεθνᾶναι διαγωγῆς ἢ τῆς ἐν τῷ ζῆν, οὕτως ἀπεφήνατο (2). Alterum apud Stobaeum (3) ex ejus περὶ εὐγένειας dialogo; cujus fragmenti, cum paullo longius sit, quam ut hic to-

(1) Cum Heusdio, Init. II, I, p. 134, primum ἔφην, deinde ἔφη reponendum videtur. (2) Cf. Cic. Tusc. I, 48: „Affertur etiam de Sileno fabella quaedam, qui, quum a Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur: docuisse regem, non nasci homini longe optimum esse; proximum autem quam primum mori." (3) Serm. 86.

tum adscribatur, summam tamen proponere conabor. De εὐγενείᾳ, cum, qualis tandem esset, quaereretur, e sua persona disserens, Aristoteles varias sententias affert Lycophronis, Socratis, Theognidis; has tamen non satis probans, quasi Theognis interesset, huic plura dubia proponit; quibus dissolutis: Ἆρ᾽ οὖν, inquit, οὐκ ἐπεὶ ἐν μηδετέρῳ τούτων ὁρῶμεν τὴν εὐγένειαν, σκεπτέον ἄλλον τρόπον; tum Theognis τίνα τοῦτον ἐνίοτε; σκεπτέον δ᾽ ἔφην (1), ita rursus Aristoteles, τὸ εὖ σημαίνειν τί δήπου τῶν ἐπαινετῶν καὶ σπουδαίων, οἷον τὸ εὐπρόσωπον, καὶ τὸ εὐόφθαλμον· ἀγαθὸν γάρ τι ἢ καλόν σημαίνει κατὰ τοῦτον τὸν λόγον. Πανύ γε εἶπεν (Theognis). Οὐκοῦν εὐπρόσωπον μέν ἐςι τὸ ἔχον ἀρετὴν προσώπου· εὐόφθαλμον δὲ τὸ ὀφθαλμοῦ ἀρετήν· οὕτως, εἶπεν. Ἀλλὰ μὴν ἐςι γένος τὸ μὲν σπουδαῖον, τὸ δὲ φαῦλον, ἀλλ᾽ οὐ σπουδαῖον· πανύ γε εἶπε. Σπουδαῖον δέ γε φαμὲν ἕκαςον κατὰ τὴν αὐτοῦ ἀρετὴν εἶναι. ὥςε καὶ γένος σπουδαῖον ὡςαύτως. οὕτως, εἶπε. Δῆλον ἄρ᾽ ἔφην, ὅτι ἐςὶν ἡ εὐγένεια, ἀρετὴ γένους. Post autem quam syllogistica disquisitione suam sententiam proposuerat, eam deinde, eadem ratione procedens, confirmat et causas, quare aliorum sententias refutaverit, recenset (2).

Aristoteles igitur his locis semet ipsum loquentem induxit; in aliis vero dialogis, ut appa-

---

(1) Ita legg. pro vulgato ἔφη. (2) Hoc fragmentum Koppio, O. l. III, I, p. 100 et Rittero, O. l. III, p. 28, dubiae auctoritatis esse videtur.

ret e Cicerone, hanc rationem secutus est, quam Plato in opere de Legibus, Xenophon in Anabasi, Cicero in libris de Oratore sequendam esse censuerunt, ut, quamvis alienam personam inducerent, ex tota tamen ipsius dialogi ratione sub ea latere intelligerentur: quod his Ammonii verbis maxime illustratur: διαλογικὰ δὲ (συντάγματα) ὅσα μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου συνέγραφεν, ἀλλ' ὥσπερ ὁ Πλάτων ὑποκρινόμενος ἑτέρων πρόσωπα (1). Eadem ratio, atque in frag-

(1) Comm. ad Cat. p. 6 B. (Ed. Ald. 1546); hunc locum nuper Krischius, O. l. p. 14, et ante eum Goerenzius, Introd. ad libb. de Fin. p. XV sqq., male interpretati sunt; illud enim ὅσα non ad vocem διαλογικὰ, quae est adjective accipienda, sed ad substantivum συντάγματα referendum videtur; praeterea αὐτοπρόσωπον dicitur opus, *in quo quis e sua persona docet, nulla extrinsecus persona adsumta;* quae igitur interpretatio, quam solam veram esse contendo, dialogorum, in quibus duae saltem personae requiruntur, indoli prorsus repugnat. Confirmari etiam haec videntur sequentibus; non enim scripsit Ammonius ὑποκρινόμενος ἕτερον πρόσωπον, quae scripsisset si Aristotelis personam excludere voluisset, sed ὑποκρινόμενος ἑτέρων πρόσωπα, *fingens alienas personas*, quas dialogo suo immisceret; verba autem, ὅσα μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου συνέγραφεν, ex contextu, tamquam voci αὐτοπρόσωπα opposita, sunt accipienda; ex quibus igitur illud nimirum redit, Ammonium hoc loco magis exposuisse indolem dialogorum, quam quaestionem attigisse, Aristotelesne suo an alieno nomine personam in dialogis suis egerit. In

mentis, quae attuli, fuisse videtur in dialogo nomine Corinthius, in quo, teste Themistio (1), agricolam Corinthium, qui Platonis Gorgiam legisset, induxit.

Prouti Cicero disquisitiones suas et severa philosophiae argumenta versibus ex poëtis admiscendis exhilarare et exemplis ex historia petitis illustrare studuit, ita quoque Aristotelem poëtarum, imprimis Homeri, sententiis orationem suam distinxisse, ex his Dionis Chrysostomi (2) verbis satis probabiliter effici potest: Ἀριστοτέλης ἐν πολλοῖς διαλόγοις περὶ τοῦ ποιητοῦ διέξεισι, θαυμάζων αὐτὸν, ὡς τὸ πολὺ καὶ τιμῶν. Praeterea ex hymno in virtutem (3), quem tempora nobis servarunt,

---

duobus vero, quae attuli, Aristotelis dialogorum fragmentis eum proprio nomine esse locutum, verisimiliter efficere licet. Cf. Simpl. Comm. ad Arist. l. I, p. 2, lat. 2. (1) Orat. XXIII, p. 295 D. Memorantur etiam ab antiquis Aristotelis συμπόσιον (vid. Wolf ad Plat. Symp. p. 6) et ἐρωτικά (Athen. XIII, 564, XV, 674). (2) Orat. LIII, p. 553 C. (3) Ph. G. van Heusde, Char. p. 150. Cff. Schol. Bob. pro Archia, Tom. V, p. II, p. 358, Orell. Edit. „primus videtur elegiacum carmen scripsisse Kallinos," et G. Abeken, de μιμήσεως apud Platonem et Aristotelem notione, p. 26 sqq., p. 48 sqq. Magnificum de poëticis Aristotelis meritis judicium tulit Buhle, O. l. III, p. 248: „ Seine Poëtik hat ausschlieszend die Kunst des Schönen zum Objecte. Leider ist davon nur ein Fragment übrig, ein Torso, der die

apparet, eum minime poëtico sensu destitutum fuisse.

Ut in Legibus Plato ipsius duntaxat disputationis causa, quae interrogando et respondendo planius procedere solet, personas suas Critiam et Megillum induxit; non vero ut ipsam personarum indolem, quae magna ex parte ejus dialogorum ratio fuit, simul exponat, sed statim ipsum argumentum aggreditur; ita quoque Aristoteles dialogos suos disposuisse videtur; in quibus, ex judicio Ciceronis, qui pluribus locis Aristotelis pigmenta et ornamenta orationis laudat, per inductionem deduco, haud parum e Xenophontis et Isocratis melle eum delibasse. Usus est autem maxime, teste eodem Cicerone, *ratione disputandi in utramque partem*, τῷ διαπορῆσαι καλῶς, ut eam vocat (1); cujus, inventa

---

Vortrefflichkeit des Ganzen beurkundet, und den Verlust desselben desto schmerzlicher macht." (1) Met. II, 1 init.. Weisse, in anim. suis ad lib. IV, c. 14 Arist. Phys. p. 516, 517, τὸ διαπορῆσαι διὰ τῶν ἐξωτερικῶν λόγων interpretatur: „Zweifel vorlegen nach aüsserlicher Begriffsbestimmung." Cff. Nic. VII, 4, ἡ λύσις τῆς ἀπορίας εὕρησίς ἐστιν, M. M. II, 6, init. πρῶτον ἂν δέοι εἰπεῖν τὰ ἀπορούμενα καὶ τοὺς ἐναντιουμένους λόγους τοῖς φαινομένοις, ὅπως ἐκ τῶν ἀπορουμένων λόγων συνεπεσκεμμένοι, καὶ ταῦτα ἐξετάσαντες, τὴν ἀλήθειαν ὑπὲρ αὐτῶν εἰς τὸ ἐνδεχόμενον ἴδωμεν· ῥᾷον γὰρ οὕτως ἰδεῖν τἀληθές ἐστι, Eud. II, 1, p. 1220, a. 16 sqq. δεῖ διὰ τῶν ἀληθῶς μὲν λεγομένων, οὐ σαφῶς δὲ, πειρᾶσθαι λαβεῖν

συλλογιςικῇ, optima refutandi probandique ratione, qua saepe ex falsis opinionibus vera concludere solebat (1), ipse auctor fuerat; hinc ut τὰ ἀκροατικὰ obscuritate, ita τὰ ἐξωτερικὰ perspicuitate conspicua fuisse dicuntur, et, ut ex Ciceronis laudibus (2) intelligitur, nihil subtilius, uberius, suavius, ornatius iis fuisse videtur. Rite igitur summus Wyttenbachius (3) ejus dictionem *redundantem*, *grandem* ac *paene tragicam* vocat; quo judicio etiam indolem fragmenti ex Eudemo, μῦθον, ut videtur, plane referente, nec minus loci, quem ex hoc dialogo Latine expressit Cicero (4), egregie repraesentavit.

His summatim expositis, cum de singulis enu-

καὶ τὸ ἀληθῶς καὶ σαφῶς, VII, 2 init. ληπτέος δὲ τρόπος ὅςις ἡμῖν ἅμα τά τε δοκοῦντα, μάλιςα ἀποδώσει, καὶ τὰς ἀπορίας λύσει καὶ τὰς ἐναντιώσεις. Τοῦτο δ' ἔςαι ἐὰν εὐλόγως φαίνηται τὰ ἐναντία δοκοῦντα· μάλιςα γὰρ ὁμολογούμενος ὁ τοιοῦτος ἔςαι λόγος τοῖς φαινομένοις. συμβαίνει δὲ μένειν τὰς ἐναντιώσεις, ἐὰν ἔςι μὲν ὡς ἀληθὲς ᾖ τὸ λεγόμενον, ἔςι δ' ὡς οὔ. Met. II, 1 init. ἔςι δὲ τοῖς εὐπορῆσαι βουλομένοις προὔργου τὸ διαπορῆσαι καλῶς· ἡ γὰρ ὕςερον εὐπορία λύσις τῶν προτέρον ἀπορουμένων ἐςί, λύειν δ' οὐκ ἔςιν ἀγνοοῦντας τὸν δεσμόν. κ. τ. λ. Coll. Stahrio, II, p. 267, 277. (1) Anal. Pr. II, 2. ἐκ ψευδῶν δ' ἀληθὲς ἔςι συλλογίσασθαι καὶ ἀμφοτερων τῶν προτάσεων ψευδῶν οὐσῶν, καὶ τῆς μιᾶς. Cf. Eud. I, 6. (2) disp. n. p. 1 sqq. (3) ad Plut. l.l. et in Epist. Heusdii Spec. praem. p. 46 sqq. Cff. etiam Ph. G. van Heusde, Init. II, I, p. 132 sqq. et Sigonius, lib. de dial. Venet. 1562. (4) de Div. I, 25.

cleatius sit agendum, primum dicam de usu prooëmiorum.

Prooëmiis Cicero, tam Platonem quam Aristotelem secutus, imprimis delectatus est, quod ex duabus ad Atticum Epistolis satis dilucide apparet: „Itaque cogitabam, quoniam in singulis libris utor prooëmiis, ut Ἀριςοτέλης in iis, quos ἐξωτερικούς vocat, aliquid efficere, ut non sine causa istum appellarem" (1). — „De Gloria librum ad te misi: at in eo prooëmium id est, quod in Academico tertio. Id evenit ob eam rem, quod habeo volumen prooëmiorum. Ex eo eligere soleo, cum aliquod σύγγραμμα institui. Itaque jam in Tusculano, qui non meminissem me abusum isto prooëmio, conjeci id in eum librum, quem tibi misi. Cum autem in navi legerem Academicos, agnovi erratum meum. Itaque statim novum prooëmium exaravi; tibi misi" (2). Utitur autem Cicero prooëmiis in iis potissimum dialogis, qui Aristotelium morem maxime referunt; egre-

(1) ad Att. IV, Ep. 16. Hoc loco, ut jam monuit Stahr, II, 244, Buhlii (p. 116 ejus Comm.) sententia, Aristotelem in suis scriptis utriusque generis prooëmiis esse usum, prorsus concidit. (2) ad Att. XVI, Ep. 6. Cf. XIII, Ep. 32: „Misi — Catulum et Lucullum, ut opinor, antea. His libris nova prooëmia sunt addita, quibus eorum uterque laudatur." Cff. etiam Middleton, Life of Cicero in annot. T. IV, S. IX, p. 258 sq. et Kuehner, O. I. p. 85.

gia sunt in libris de Oratore, imprimis tertio, in Bruto, in libris de Republica et primo de Legibus; nec minus in philosophis scriptis, ut in libris Academicis, de Finibus, praecipue quinto, de Officiis et secundo de Divinatione.

Prooëmiorum Ciceronis haec censentur merita, primum ut eodem valeant, quo in media oratione vel in medio sermone exempla et digressiones, ad orationem variandam et ornandam, ad judices permovendos et auditorum benevolentiam conciliandam; deinde, cum natura disputationis in utramque partem et orationis perpetuae accuratam expositionem personarum, opportunitatis (1), loci (2), temporis, quo habitus sit dialogus, minus admittat, prooëmiis haec persecutus est (3). Est

(1) Ut de Orat. libb. II et III, Acad. Pr., de Rep. lib. I, et in Laelio. (2) quae laus imprimis est prooëmiorum lib. V. de Fin. et lib. II de Legg. (3) Cf. Krische, Q. l. p. 13, cujus sententiâ cum meam confirmatam esse videam, haec ejus verba adscribere mihi liceat: „Dass diese Eingänge ihrer Beziehung und Bedeutung für das Ganze nach gleichfalls den Peripatetischen nachgebildet gewesen, lässt sich bestimmt aus der Nachricht des Proclus ersehen, dass die προοίμια von Heraklides und Theophrast's Dialogen παντελῶς ἀλλότρια τῶν ἑπομένων gewesen seien (Proc. in Plat. Parm. I, p. 54, Cousin); denn die Scenerie des Gesprächs, überhaupt das dramatische und mimische Leben der Platonischen Kunst muss in den Peripatetischen Dialogen vermisst sein."

enim prooëmium ὅπερ ἐν ποιήσει πρόλογος καὶ ἐν αὐλήσει προαύλιον, ὁδοποίησις τῷ ἐπίοντι, ut ait Aristoteles (1), qui in triplice orationis genere eorum naturam inquirens: „In demonstrativis," inquit, „quae ex laude et vituperatione ducuntur, dicentem, quidquid velit, statim inserere et connectere (ἐνδοῦναι καὶ συνάψαι) oportet. In judicialibus ad auditores prooëmia sunt referenda, si de re non exspectata, sive pervulgata, sive obscura, habeatur oratio; haec autem dramatum et Epicorum prologis, illa Dithyramborum prooëmiis sunt assimulanda. Oratio autem deliberativa ornatus tantum gratia, ne abrupta videatur, prooëmium requirit". Egregie igitur hoc loco Aristoteles prooëmiorum naturam exposuit, ut dolendum sit, temporum injuria ne minimum quidem eorum vestigium fuisse relictum.

Ceterum in prooëmiis Cicero imprimis rationem studiorum suorum (2), ordinem, quem in libris conscribendis secutus est (3), exposuit. Continent etiam praeclaram recordationem virorum de patria, de Cicerone ejusque studiis bene meritorum (4).

Cicero, quum ex dialogi forma, tam Platonis, quam Aristotelis (5), uberrimos fructus percepis-

(1) Rhet. III, 14 init. (2) de Orat. lib. II, pro Archia et de Off. libb. I et II. (3) de Div. lib. II. (4) de Orat. lib. III, de Off. lib. III et in Bruto. (5) Cf. de Orat. III, 27.

set, illius copiam admiratus, hujus tamen in utramque partem disputandi rationem summis laudibus extulit. Haec autem ratio, ad probandum et refutandum maxime efficax, contrarias de unaquaque re sententias, ancipites disceptationes, in quibus de universo genere in utramque partem disseri copiose liceat, imprimis dissolvit, et, dialecticam cum eloquentia conjungens, omnes locos, unde argumenta trahi possint, percenset, judicium inventioni subjicit (1). Intelligitur facile, quantum haec ratio, prae ceteris contentiosa (2), coram judicibus in concione oratori praesto esse possit: testes sunt Verrinae, Catilinariae, Philippicae, orationes, tam in foro, quam in senatu, a Cicerone habitae: patet hoc autem maxime ex his Antonii de Oratore (3) verbis: „Itaque et illi alias aliud iisdem de rebus et sentiunt, et judicant, et nos contrarias saepe causas dicimus, non modo ut Crassus contra me dicat aliquando, aut ego contra Crassum, cum alterutri necesse sit falsum dicere: sed etiam ut uterque nostrûm eadem de re alias aliud defendat, cum plus uno verum esse non possit" (4).

(1) Cf. Acad. I, 8, de Legg. I, 24, Orat. c. 14. (2) Plut. adv. Colotem, p. 1115 B. διὰ τῶν ἐξωτερικῶν διαλόγων φιλονεικώτερον ἐνίοις ἔδοξεν ἢ φιλοσοφώτερον ἔχεσθαι. (3) II, 7. (4) Ex ἀκροατικοῖς Aristotelis scriptis nullum magis hanc rationem refert quam libri ejus Politici, iis potissimum locis, quibus varias legumlatorum sententias, varias civitatum constitutiones affert, pro et contra regis imperium disputat. Cff. libb. II et III, imprimis c. 15.

Hujus rationis haec imprimis est virtus, ut uniuscujusque sententia maneat integra, et simul, ne monente quidem eo, qui contraria proponit, sponte appareat, quae praeferenda videatur. Est igitur haec ratio usu pulcerrima, abusu demum facta teterrima; ansam enim praebuit ei disputandi methodo, cujus auctor praecipue Carneades fuit, ut pari facultate contra quam pro veritate, virtute, justitia diceretur.

Cum igitur tanta vis sit Aristotelii moris, apponenda videntur loca, quibus Cicero se eum secutum esse profitetur.

In Epistolis ita scribit ad Lentulum (1): „Scripsi igitur Aristotelio more, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione ac dialogo (2) de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles. Abhorrent enim a communibus praeceptis, atque omnem antiquorum, et Aristoteliam, et Isocratiam, rationem oratoriam complectuntur." Notandum et hoc Cottae, libro tertio de Oratore (3), dictum: „Sed etiamsi est aliquanto spissius, aut si ego sum tardior, profecto numquam conquiescam, neque defatigabor ante, quam illorum ancipites vias rationesque et pro omnibus, et contra omnia disputandi, percepero".

Haec fuit in libris de Oratore vis Aristotelii

(1) ad Fam. I. Ep. 9, §. 23. (2) Inv. II, 2: „Aristotelio more in disputatione ac dialogo." (3) c. 36. Cf. Ib. c. 21 et disp. n. p. 31.

moris, qui, ut jam monui (1), ex Antonii personae peculiari ratione, nec minus ex hujus et Crassi disputatione elucet, quorum alter vulgarem oratorem, perfectum alter proponit; quem etiam referunt, reliquarum personarum, imprimis Scaevolae et Catuli, contrariae argumentationes et ipsius Ciceronis ejusque fratris Quinti de eloquentiae ambitu opinionum diversitas; quod, cum ille prudentissimorum hominum artibus eloquentiam contineri, hic illam ab elegantia doctrinae segregandam, et in quodam ingenii atque exercitationis genere ponendam esse, statueret (2).

Similem in libris de Re publica rationem Cicero se esse secutum in quadam ad Atticum Epistola (3) maxime testatur: „Nosti genus dialogorum meorum: ut in oratoriis, quos tu in caelum fers, non mentio potuit fieri cujusquam ab iis, qui disputant, nisi ejus, qui illis notus aut auditus esset: hanc ego de re publica, quam institui, disputationem in Africani personam, et Phili et Laelii et Manilii contuli: adjunxi adolescentes, Q. Tuberonem, P. Rutilium, duo Laelii generos, Scaevolam, et Fanni-

(1) disp. n. p. 25 sqq. (2) I, 2. His confutatur Krischii, O. l. p. 13, sententia maxime ob praeposita prooemia hunc dialogum Aristotelium esse dictum. Verba autem, „Aristotelio *more in disputatione ac dialogo*", arctissime conjungenda, interpretor: Aristotelio *more, tam in disputando, quam in dialogorum forma.* (3) ad Att. IV, Ep. 16. Cf. Lael. c. 14.

um." Primas in hoc dialogo occuparunt Africanus et Laelius, inter quos fuit hoc in amicitia quasi quoddam jus, ut militiae propter eximiam belli gloriam Africanum ut deum coleret Laelius, domi vicissim Laelium, quod aetate antecedebat, observaret in parentis loco Scipio (1). Eloquentiae laude uterque conspicuus (2), Africanus eam bellica laude cumulavit (3), Laelius propter sapientiam summas laudes consecutus est (4). „Nam ut ex bellica laude adspirare ad Africanum nemo potest, – sic ingenii, literarum, eloquentiae, sapientiae denique, etsi utrique primas, priores tamen libenter deferunt Laelio" (5). Usum igitur summum attulit in hac disputatione Scipio, Laelius vero summam eruditionem; in utroque autem, ut in L. Furio Philo et M. Manilio, prudentia summa elucet.

Incipit ad finem perducto egregio prooemio, ut apud Aristotelem (6) in Politicis, disputatio ipsa a rei publicae definitione: „Ingrediar," inquit Scipio, sub cujus persona Cicero profecto latet, ut κωφὸν πρόσωπον (7), „in disputationem ea lege, qua credo omnibus in rebus disserendis uten-

(1) de Rep. I, 12. Cff. Lael. c. 1, 3, 4, de Orat. II, 6. (2) Brut. c. 21, 74, 86, pro Mur. c. 31, ad Att. VII, Ep. 3, de Orat. I, 60. (3) de Off. I, 32. (4) Brut. c. 5, 8, de Off. II, 11, III, 4, Tusc. I, 3, IV, 3, Lael. 1, 2, de Orat. I, 13. (5) Brut. c. 21. Cf. c. 22 et 23 et de Rep. III, 30. (6) I, 1. (7) Cf. infra disp. n. p. 98.

dum esse, si errorem velis tollere, ut ejus rei, de qua quaeritur, si nomen quod sit conveniat, explicetur, quid declaretur eo nomine: quod si convenerit, tum demum decebit ingredi in sermonem: numquam enim, quale sit illud, de quo disputabitur, intelligi poterit, nisi, quid sit, fuerit intellectum prius" (1). Quatenus e fragmentis judicari potest, Aristoteliam rationem, cum Platonica conjunctam (2), Cicero maxime secutus est libro tertio, in quo, cum magna conflictatione res ageretur, „suscipit", ut ait Augustinus (3), „Philus ipse disputationem eorum, qui sentirent sine injustitia regi non posse rem publicam; purgans se praecipue, ne hoc ipse sentire crederetur: egitque sedulo pro injustitia, contra justitiam, ut hanc esse utilem rei publicae, illam vero inutilem, veri similibus rationibus et exemplis velut conaretur ostendere. Tum Laelius, rogantibus omnibus, justitiam defendere aggressus est; asseruitque, quantum potuit, nihil tam inimicum, quam injustitiam civitati, nec omnino, nisi magna justitia, geri aut stare posse rem publicam." Hinc Philus (4): „Praeclaram vero causam ad me defertis, quum me improbitatis patrocinium suscipere vultis. Atqui id tibi, inquit Laelius, verendum est, si ea dixeris, quae contra justitiam

(1) de Rep. I, 24. (2) Cf. J. A. C. van Heusde, O. l. p. 228, 229. (3) de Civ. Dei, II, 21. (4) de Rep. III, 5. Cf. Lael. c. 7.

dici solent, ne sic etiam sentire videare, quum et ipse sis quasi unicum exemplum antiquae probitatis et fidei; neque sit ignota consuetudo tua contrarias in partes disserendi, quod ita facillime verum inveniri putes." Statuendum igitur, egregiam hanc Phili disputationem in maximum hujus nostrae disquisitionis detrimentum paene totam interiisse; apparet enim ex hoc loco, eum, non minus quam Antonium in libris de Oratore, in his de Re publica Ἀριστοτέλειον πρόσωπον, ut ita dicam, egisse. In genere tenendum, quibuscunque dialogis Cicero in utramque partem disserit, eum consulto iis tale πρόσωπον immiscuisse: sic in libris de Finibus Piso, de Natura Deorum Cotta, qui jam de Oratore (1), quantum haec ratio ei placuerit, dilucide ostenderat, hoc munere funguntur.

Cicero in πολιτικοῖς suis conscribendis valde se laborasse duabus ad Quintum fratrem Epistolis ingenue confitetur: „Scribebam illa, quae dixeram πολιτικά, spissum sane opus et operosum. Sed, si ex sententia successerit, bene erit opera posita. Sin minus, in illud ipsum mare dejiciemus, quod spectantes scribimus. Aggrediemur alia, quoniam quiescere non possumus" (2)— „Quod quaeris, quid de illis libris egerim, quos, quum essem in Cumano, scribere institui, non cessavi, neque cesso: sed saepe jam scribendi totum consilium rationem-

---

(1) III, 36. Cf. disp. n. p. 92. (2) Lib. II, Ep. 14. Cf. J. A. C. van Heusde, O. l. p. 223, 224.

que mutavi. Nam jam duobus factis libris, in quibus, novendialibus iis feriis, quae fuerunt Tuditano et Aquilio consulibus, sermo est a me institutus Africani, paullo ante mortem, et Laelii, Phili, Manilii, Q. Tuberonis et Laelii generorum, Fannii et Scaevolae: sermo autem in novem et dies et libros distributus de optimo statu civitatis et de optimo cive: sane texebatur opus luculenter, hominumque dignitas aliquantum orationi ponderis afferebat. — Hi libri cum in Tusculano mihi legerentur, audiente Sallustio, admonitus sum ab illo, multo majore auctoritate illis de rebus dici posse, si *ipse loquerer* de re publica; praesertim cum essem non Heraclides Ponticus, sed consularis et is, qui in maximis versatus in re publica rebus essem: quae tam antiquis hominibus attribuerem, ea visum iri ficta esse: oratorium sermonem in illis nostris libris, quod esset de ratione dicendi, belle a me removisse; ad eos tamen retulisse, quos ipse vidissem: Aristotelem denique, quae de re publica et praestante viro scribat, *ipsum loqui.* Commovit me, et eo magis, quod maximos motus nostrae civitatis attingere non poteram, quod erant inferiores, quam illorum aetas, qui loquebantur. Ego autem id ipsum tum eram secutus, ne in nostra tempora incurrens, offenderem quempiam. Nunc et id vitabo, et *loquar ipse* tecum" (1). Novi-

(1) III, Ep. 5.

mus igitur ex hoc loco, ad propositam quaestionem solvendam maximi, ut mihi quidem videtur, momenti, principalem causam hujus gravis laboris Ciceroni fuisse, quod, cum primum in libris suis de Re publica hanc Aristoteliam rationem esset secutus, qua, Platonis exemplo, κωφὸν ejus πρόσωπον esset, eos nunc in formam efficaciorem, Aristoteli magis peculiarem, qua *penes ipsum esset principatus*, refingere consectaretur.

Ad hunc igitur morem, quo Cicero provectiore demum aetate potissimum usus esse videtur, cum transeundi opportunitas oblata sit, haec ex ejus ad Atticum (1) Epistola verba, quibus utriusque rationis discrimen egregie significat, praemittenda esse censui. Ut „ meum κωφὸν πρόσωπον esset, hoc in antiquis personis suaviter fit, ut et Heraclides in multis, et nos sex de Re publica libris fecimus. Sunt etiam de Oratore nostri tres, mihi vehementer probati. In eis quoque eae personae sunt, ut mihi tacendum fuerit. Crassus enim loquitur, Antonius, Catulus senex, C. Julius, frater Catuli, Cotta, Sulpicius. Puero me hic sermo inducitur, ut nullae esse possent partes meae. Quae autem his temporibus scripsi, Ἀριστοτέλειον morem habent (2),

(1) l. XIII, Ep. 19. (2) Ita legg. pro vulgato signo *colon* seu *semicolon*, vel pro *interrogandi* signo, quod Ernestius reposuit. Video jam ante me hunc locum ita emendasse Görenzium ad Cic. de Fin. Introd.

in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut *penes ipsum sit principatus.*"

Satis veri simile est, Ciceronem hanc rationem esse secutum in Hortensio sive libro de Philosophia, in quo Q. Hortensium, Q. Lutatium Catulum, L. Licinium Lucullum, Q. Lucilium Balbum, semet ipsum et

---

p. XVI, XVII et Stahrium, II, p. 245, 246. Cff. de hoc loco Wytt. Epist. laud. p. 51, Ph. G. van Heusde, Init. II, I, p. 133, Orell. Cic. Opp. Vol. III, p. I, p. 47, Madv. O. l. in praef. p. LX, LXI. Illud igitur *autem* non habet vim oppositionis, ut interpretes monuerunt, sed rite appositum videtur ad praestantiam alterius *moris* magis extollendam. Krischium, qui O. l. p. 15 sqq., Aristotelium morem latere maxime censet in distinctione dialogorum a ceteris scriptis atque in perpetuis orationibus, quibus utuntur personae, quae singulae sententiam suae sectae tuentur, ideoque antiquam lectionem, *habent; in quo*, non sollicitat, in errorem, ut videtur, maxime inductum Ammonii loco (p. 84 disp. n.), rejicio ad disquisitionem meam *de* Aristotelio *more*, ut etiam ad loca, quae attuli pagg. 21, 25 sqq., 31, 67, 78 sq. n. disp.. Obiter tamen monendum esse censeo, qualicunque tandem modo hunc Ammonii locum quis interpretetur, eo tamen minime meam de Aristotelio more sententiam infirmari. Dominatur enim haec peculiaris sive syllogistica in utramque partem disputandi ratio, non minus in Aristotelis scriptis acroamaticis, quam in ejus dialogis. Cff. notae 1, p. 86, 87 et 4, p. 91 disp. n.

fortassis alios quosdam induxerat. In hoc libro, de cujus ratione injuria temporum vix judicare licet, Hortensius, laudata eloquentia, philosophiam impugnasse, hanc vero ceteri defendisse videntur (1). „Philosophiae quidem vituperatoribus," ut ait Cicero in libris de Finibus (2), „satis responsum est eo libro, quo a nobis philosophia defensa et collaudata est, cum esset accusata et vituperata ab Hortensio."

Cum antea Academica duobus libris, Catulo et Lucullo, quorum ille Philonis, hic Antiochi sententiam tuebatur, absolvisset, suadente Attico (3), ab hominibus nobilissimis totam hanc Academicam σύνταξιν abstulit, et ex duobus in quatuor libros contulit; quorum quae fuerit ratio ex ejus ad Varronem Epistola (4) intelligitur: „Misi autem ad te quatuor admonitores non nimis verecundos. Nosti enim profecto os adolescentioris Academiae. Ex ea igitur media excitatos misi: qui metuo ne te forte flagitent: ego autem mandavi, ut rogarent." — „Feci igitur sermonem inter nos habitum in Cumano, cum esset una Pomponius. Tibi dedi partes Antiochinas, quas a te probari intellexisse mihi videbar: mihi sumpsi Philonis. Puto fore, ut, cum legeris, mirere, nos id locutos esse inter nos, quod num-

---

(1) Cf. Orell. Cic. Opp. Vol. IV, p. II, p. 479. (2) I, 1. Cff. de Div. II, 1 et Tusc. III, 3. (3) Cf. disp. n. p. 32 sq. (4) ad Fam. IX, Ep. 8.

quam locuti sumus. Sed nosti morem dialogorum." Imprimis vero ex egregia ad Atticum Epistola (1): „In Varrone ista causa me non moveret, ne viderer φιλένδοξος: sic enim constituebam, neminem includere in dialogos eorum qui viverent: sed, quia scribis et desiderari a Varrone, et magni illum aestimare, eos confeci; et absolvi, nescio quam bene, sed ita accurate, ut nihil posset supra, Academicam omnem quaestionem libris quattuor. In eis, quae erant contra ἀκαταληψίαν praeclare collecta ab Antiocho, Varroni dedi: ad ea ipse respondeo: tu es tertius in sermone nostro. Si Cottam et Varronem fecissem inter se disputantes, ut a te proximis literis admoneor, meum κωφὸν πρόσωπον esset. — Haec Academica, ut scis, cum Catulo, Lucullo, Hortensio contuleram. Sane in personas non cadebant. Erant enim λογικώτερα, quam ut illi de iis somniasse unquam viderentur. Itaque, ut legi tuas de Varrone, tanquam ἑρμαῖον arripui. Aptius esse nihil potuit ad id philosophiae genus, quo ille maxime mihi delectari videtur, measque partes, ut non sim consecutus, ut superior mea causa videatur. Sunt enim vehementer πιθανὰ 'Αντιόχεια, quae diligenter a me expressa acumen habent Antiochi, nitorem orationis nostrum."

Studiorum commercium Atticum inter et Ciceronem, hunc ad praeclarum illum Aristote-

---

(1) ad Att. XIII, Ep. 19.

lium morem magis excolendum excitasse, jam ex hoc loco, ni fallor, apparet; sed ulterius progredior, eumque Attici consiliis in illo rite percipiendo maxime usum esse censeo, quod ex hoc ejus Epistolarum loco (1) satis probabiliter effici posse mihi videtur: Lucullum „tu mihi addidisti, sane ad illum σύλλογον personam idoneam. Videbis igitur, si poteris, ceteros; ut possimus πομπεῦσαι καὶ τοῖς προσώποις."

Libri de Finibus, qui admirabili acumine et rara facundia, elegantia, perspicuitate enitescunt (2), referunt prorsus rationem quam libro quinto (3) Cicero Aristoteli propriam esse fatetur: „Ut non contra omnia semper, sicut Arcesilas, diceret, et tamen, ut in omnibus rebus, quidquid ex utraque parte dici posset, expromeret." Primo enim libro Epicureis, tertio Stoicis placitis expositis, secundo et quarto Cicero ea refutavit; quinto vero veteris Academiae, vel potius Antiochi, rationem maxime probavit. In his adeo libris, Epicurea proponens, eorum orationem magis plenam atque remissam, Stoicas partes agens, spinosiorem disputandi rationem; ubi vero Academica et Peripatetica placita exponit, uberrimam eorum orationem imitari studet: „Itaque," ut ait Cicero (4), „quamquam in eo sermone, qui cum Tor-

(1) ad Att. XIII, Ep. 32. Cf. Krische, O. l. p. 19. (2) Cf. Kuehner, O. l. p. 53. (3) c. 4. Cff. l. IV, 4 et ad Att. XIII, Ep. 19. (4) de Fin. III, 1.

quato est habitus, non remissi fuimus: tamen haec acrior est cum Stoicis parata contentio. Quae enim de voluptate dicuntur, ea nec acutissime, nec abscondite disseruntur. Neque enim qui defendunt eam, versuti in disserendo sunt, nec qui contra dicunt, causam difficilem repellunt. — Quare illa nobis simplex fuit in utramque partem disputatio. Nec enim in Torquati sermone quidquam implicatum, aut tortuosum fuit; nostraque, ut mihi videtur, dilucida oratio. Stoicorum autem non ignoras quam sit subtile, vel spinosum potius, disserendi genus: idque cum Graecis, tum magis nobis, quibus etiam verba parienda sunt, imponendaque nova novis rebus nomina."

Quae autem postremo de varia singularum sectarum disputandi ratione, a Cicerone non neglecta, observavimus, ea quoque in libros de Natura Deorum, in quibus, cum ipsius πρόσωπον κωφὸν esset (1), C. Vellejo Epicurea, Q. Lucilio Balbo Stoica, C. Cottae Academica tradiderat, maxime quadrant. Quod ut ostendam, Balbum, in fine disputationis suae (2) haec monentem, inducere mihi liceat. „Tu autem Cot-

---

(1) Egregie igitur fallitur Krischius, cum, O. l. pagg. 12, 13 et 18, locum ex l. XIII, Ep. 19 ad Att., quem modo attuli, mutatis personis, ad libros de Natura Deorum transferri posse censeat; neglexit enim prorsus Ciceronis personam libb. II et IV de Finibus. (2) de N. D. II, 67.

ta, si me audias, eandem causam agas, teque et principem civem, et pontificem esse cogites, et, quoniam in utramque partem vobis licet disputare, hanc potius sumas, eamque facultatem disserendi, quam tibi a rhetoricis exercitationibus acceptam amplificavit Academia, huc potius conferas." De qua Cottae disputatione Cicero hoc tulit judicium (1): „Ipse Cotta sic disputat, ut Stoicorum magis argumenta confutet, quam hominum deleat religionem."

Similem atque in libris de Natura Deorum rationem, Cicero in libris de Divinatione, in quibus Quintus Stoica, ipse veteris Academiae placita de divinatione, quae cum Peripateticis consentiunt (2), tuetur, se secutum esse, initio fragmenti de Fato (3) significavit: „In illis libris feci, qui sunt de natura Deorum: itemque in iis, quos de divinatione edidi, ut in utramque partem perpetua explicaretur oratio, quo facilius id a quoque probaretur, quod cuique maxime probabile videretur." Elucebit hoc maxime si magis contentiosa Quinti disputatio cum uberiore Ciceronis, qui, ut Piso in Finibus, Cotta de Natura Deorum, ceterarum sectarum sententias primum recenset, comparetur. „Accurate tu quidem", inquit Cicero (4), „Quinte, et Stoi-

(1) de Div. I, 5. Cf. Krische, imprimis p. 9 in nota et p. 14. (2) de Div. I, 3. (3) c. 1. (4) II, 3.

ce Stoicorum sententiam defendisti." — „Dicendum est mihi igitur ad ea, quae sunt a te dicta, sed ita, nihil ut affirmem, quaeram omnia, dubitans plerumque, et mihi ipse diffidens."

In Tusculanis Quaestionibus non in singulis libris, ut in ceteris dialogis, nova inducitur persona, quae suam sectam quasi patrocinetur; de argumento tamen proposito varia philosophorum placita afferuntur, et quae pro, et quae contra quamque sententiam sint dicenda, acute dijudicantur. Deprehenditur igitur in iis quam maxime Aristotelis probandi methodus, in utramque partem disputandi ratio: „Itaque mihi semper," ut ait Cicero (1), „Peripateticorum Academiaeque consuetudo, de omnibus rebus in contrarias partes disserendi, non ob eam causam solum placuit, quod aliter non posset, quid in quaque re veri simile esset, inveniri; sed etiam quod esset ea maxima dicendi exercitatio; qua princeps usus est Aristoteles, deinde eum qui secuti sunt." Cicero ipse in his libris primariam personam tuetur; quae vero altera persona, sive Attici (2), sive *Auditoris*, sive *Adolescentis*, sive alius nomine, disputat, magis ut dialogi formae consulat, quam ut suam sententiam proponat, inducitur. Difficultas autem in eo maxime latere mihi videtur, quod in his quaestionibus mixto quodam Cicero usus sit dialogorum genere; quod, ut infra ostendam,

(1) II, 2. (2) Cf. Moserus, ad l. I, c. 5.

acerrimum ei fuit varia philosophorum placita conciliandi studium, idem quoque in his libris ad diversam eorum disputandi rationem conjungendam eum duxit.

Eo enim quaestionum genere, quo libro primo et quinto usus est, Socratis μαιευτικὴν imitandi consilium omnino prodidit: „Itaque dierum quinque scholas, ut Graeci appellant, in totidem libros contuli. Fiebat autem ita, ut, quum is, qui audire vellet, dixisset quid sibi videretur, tum ego contra dicerem. Haec est enim, ut scis, vetus, et Socratica ratio contra alterius opinionem disserendi. Nam ita facillime, quid veri simillimum esset, invenire posse Socrates arbitrabatur. Sed quo commodius disputationes nostrae explicentur, sic eas exponam, quasi agatur res, non quasi narretur" (1). Quibus verbis Ciceronem dramaticam Platonis rationem exprimere voluisse, vix est quod moneam.

His, ut tertium, libro quarto Stoicorum spinas adjunxit, quod ex his duobus locis efficere mihi videor: „M. Utrum igitur mavis? Statimne nos vela facere, an quasi e portu egredientes paullulum remigare? A. Quidnam est istuc? non enim intelligo. M. Quia Chrysippus, et Stoici, quum de animi perturbationibus disputant, magnam partem in iis partiendis et definiendis occupati sunt; illa eorum perexigua oratio est, qua medeantur

(1) I, 4.

animis, nec eos turbulentos esse patiantur. Peripatetici autem ad placandos animos multa afferunt: spinas partiendi et definiendi praetermittunt. — Quaerebam igitur, utrum panderem vela orationis statim, an eam ante paullulum dialecticorum remis propellerem. A. Isto modo vero. Erit enim hoc totum, quod quaero, ex utroque perfectius. M. Est id quidem rectius; sed post requires, si quid fuerit obscurius" (1). Postquam igitur Cicero Stoice de perturbationibus disputaverat: „Habes ea," inquit, „quae de perturbationibus enucleate disputant Stoici: quae logica appellant, quia disseruntur subtilius. Ex quibus quoniam tanquam e scrupulosis cotibus enavigavit oratio, reliquae disputationis cursum teneamus: modo satis illa dilucide dixerimus pro rerum obscuritate. A. Prorsus satis: sed si qua diligentius erunt cognoscenda, quaeremus alias: nunc vela, quae modo dicebas, exspectamus et cursum" (2).

Miscuit denique cum his Arcesilae et Carneadis rationem; quod ut ostendam, Hirtii in libro de Fato (3) sententiam addere mihi liceat: „Hanc Academicorum contra propositum disputandi consuetudinem indicant te suscepisse Tusculanae disputationes."

His igitur expositis, haec de Aristotelio more gravissima disquisitio eo me duxisse videtur, ut concludam, Ciceronem, ut in philosophando

---

(1) IV, 4, 5. (2) Ib. c. 14. (3) c. 2.

Platonis, ita in disputandi et scribendi genere Aristotelis studium maxime prodidisse.

De Elocutione.

„Aristoteles, cum florere Isocratem nobilitate discipulorum videret, quod ipse suas disputationes a causis forensibus et civilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulisset, mutavit repente totam formam prope disciplinae suae, versumque quendam Philoctetae paullo secus dixit. Ille enim *turpe* sibi ait *esse tacere*, *quum barbaros*: hic autem, *quum* Isocratem *pateretur dicere* (1). Itaque ornavit et illustravit doctrinam illam omnem, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione conjunxit. Neque vero hoc fugit sapientissimum regem, Philippum, qui hunc Alexandro filio doctorem accierit, a quo eodem ille et agen-

(1) Cf. Quinct. I. O. III, 1, X, 1. Apud Diogenem Laërtium, V, sect. 3, vulgo ita legebatur:

Αἰσχρὸν σιωπᾷν, Ξενοκράτη δ'ἐᾷν λέγειν.

Ad quem locum Menagius, contra Aldobrandini sententiam, reponendum esse censet:

Αἰσχρὸν σιωπᾷν, Ἰσοκράτη δ'ἐᾷν λέγειν.

Ipse Euripidis versus in Philoctete ita se habet:

Αἰσχρὸν σιωπᾷν, βαρβάρους δ'ἐᾷν λέγειν.

Idem hoc Aristotelis dictum significavit Cicero ad Att. VI, Ep. 8: „Nunc vero αἰσχρὸν σιωπᾷν." Cff. Plut. adv. Colot. t. V, p. 528 Ed. Wytt. et Stahr, I, p. 64 sqq.

di acciperet praecepta et eloquendi" (1), et alio loco (2): „Aristoteles, quum motus esset Isocratis rhetoris gloria, dicere etiam coepit adolescentes docere, et prudentiam cum eloquentia jungere." Quod etiamnunc testantur libri ejus tres de Rhetorica et, si modo ex Aristotelis manu prodiit, Rhetorica ad Alexandrum (3).

Quoniam tria videnda sunt oratori, *quid dicat*, *quo quidque loco* et *quomodo* (4), sive, quod eodem redit, *invenire*, *eloqui*, *collocare* (5); ἓν μὲν, ut ait Aristoteles (6), ἐκ τίνων αἱ πίςεις ἔσονται, δεύτερον δὲ περὶ τὴν λέξιν, τρίτον δὲ πῶς χρὴ τάξαι τὰ μέρη τοῦ λόγου; de prima parte loco de dialectica jam egimus.

„Jam illius," inquit Cicero (7), „perfecti oratoris et summae eloquentiae species exprimenda est: quem hoc uno excellere, id est oratione, cetera in eo latere, indicat nomen ipsum. Non enim inventor, aut compositor, aut actor, haec complexus est omnia, sed et Graece ab eloquendo ῥήτωρ, et Latine *eloquens* dictus est. Ceterarum enim rerum, quae sunt in oratore, partem aliquam sibi quisque vindicat: dicendi autem, id est eloquendi, maxima vis soli huic conceditur."

---

(1) de Orat. III, 35. Cf. Stahr, p. 146, 285 sqq. et A. b. d. R. p. 45. (2) Tusc. I, 4. Cff. de Orat. I, 10, 12, 13, Orat. c. 14, 19 et 51 et de Off. I, 1. (3) Hoc opus merito Aristoteli abjudicare videtur Stahr, II, p. 227. (4) Orat. c. 14. (5) Orat. Part. c. 2, 3. (6) Rhet. III, 1 init. (7) Orat. c. 19.

In hac parte, ut ita dicam, in oratore *vestiendo*, Cicero ex Aristotele et Isocrate profecit maxime. Has partes cum in libris de Oratore Crasso commisisset, hic dicendi modum optimum eum esse censuit (1): „Ut Latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodcunque agetur, apte congruenterque dicamus." Ita quoque Aristoteles (2): „Ὡρίσθω λέξεως ἀρετὴ σαφῆ εἶναι, — καὶ μήτε ταπεινὴν μήτε ὑπὲρ τὸ ἀξίωμα, ἀλλὰ πρέπουσαν· – τῶν δ' ὀνομάτων καὶ ῥημάτων σαφῆ μὲν ποιεῖ τὰ κύρια, μὴ ταπεινὴν δὲ ἀλλὰ κεκοσμημένην. Quae postquam exposuerat: Ἔστι δ' ἀρχὴ, inquit, τῆς λέξεως, τὸ Ἑλληνίζειν (3). Crassus, oratori „verbis aut iis, quae propria sunt, et certa quasi vocabula rerum, paene una nata cum rebus ipsis: aut iis, quae transferuntur, et quasi alieno in loco collocantur: aut iis, quae novamus, et facimus ipsi," utendum esse censens: „In propriis," inquit, „est igitur verbis illa laus oratoris, ut abjecta atque obsoleta fugiat, lectis atque illustribus utatur, in quibus plenum quiddam et consonans inesse videatur" (4). — „Tertius ille modus transferendi verbi late patet, quem necessitas genuit, inopia coacta et angustiis; post autem delectatio jucunditasque celebravit" (5). Quo referenda sunt

(1) III, 10. (2) Rhet. III, 2 init. Cf. Cic. Orat. c. 21. (3) Rhet. III, 5. (4) III, 37. Cf. Orat. c. 24: „quod aut optime sonat, aut rem maxime explanat." (5) III, 38. Cff. Orat. c. 24 et 25, Quinct. VIII, 6, Dion. Long. de Sublim. sect. 33.

haec verba Aristotelis (1): τὰ δὲ ὀνόματα σημαίνει τι, ὥςε ὅσα τῶν ὀνομάτων ποιεῖ ἡμῖν μάθησιν, ἥδιςα. αἱ μὲν οὖν γλῶτται ἀγνῶτες, τὰ δὲ κύρια ἴσμεν. ἡ δὲ μεταφορὰ ποιεῖ τοῦτο μάλιςα. — Δεῖ ἄρα τούτων ςοχάζεσθαι τριῶν, μεταφορᾶς, ἀντιθέσεως, ἐνεργείας. τῶν δὲ μεταφορῶν τεττάρων οὐσῶν εὐδοκιμοῦσι μάλιςα αἱ κατ᾽ἀναλογίαν. Singulas vero translationis species et quemadmodum potissimum valeant, cum in poësi, tum in orationibus, Aristoteles, ut ipse declarat (2), in Poëticis libris, hodie deperditis, enucleate exposuit. Quorsum et ea spectant, quae Cicero in Oratore (3) tradidit: „Aristoteles autem translationi haec ipsa (mutata, quam hypallagen rhetores, metonymiam Grammatici vocant), subjungit, et abusionem, quam κατάχρησιν vocant. — Jam quum fluxerunt plures continuae translationes, alia plane fit oratio. Itaque genus hoc Graeci appellant ἀλληγορίαν, nomine recte, genere melius ille, qui ista omnia translationes vocat."

De Collocatione.

Crassus, libro tertio de Oratore, de verborum continuatione disputans: „Quum sint numeri plures, jambum", inquit (4), „et trochaeum fre-

(1) Rhet. III, 10. (2) Ib. c. 2. Cf. Poët. c. 22. (3) c. 27. Cff. Brut. c. 17 in f. et Arist. Rhet. ad Alex. c. 24. (4) c. 47. Secutus sum hujus loci emendationem quam proposuit Fr. Ellendt, Vol. I, p. 549 et Vol. II, p. 439.

quentem segregat ab oratore Aristoteles. — Quare primum ad heroum nos (dactyli, et anapaesti, et spondei pedem) invitat: in quo impune progredi licet duo duntaxat pedes, aut paullo plus, ne plane in versum, aut similitudinem versuum incidamus," et in Oratore (1) ipse Cicero: „Qui paeona praetereunt, non vident mollissimum a sese numerum, eundemque amplissimum praeteriri. Quod longe Aristoteli videtur secus, qui judicat, heroum numerum grandiorem, quam desideret soluta oratio; jambum autem nimis e vulgari esse sermone. Ita neque humilem, et abjectam orationem, nec nimis altam et exaggeratam probat: plenam tamen eam vult esse gravitatis, ut eos, qui audient ad majorem admirationem possit traducere. Trochaeum autem, qui est eodem spatio, quo choreus, cordacem appellat, quia contractio et brevitas dignitatem non habeat. Ita paeona probat, eoque ait uti omnes, sed ipsos non sentire, quum utantur: esse autem tertium ac medium inter illos: sed ita factos eos pedes esse, ut in eis singulis modus insit aut sesquiplex, aut duplex, aut par." — „Jam paeon," pergit Cicero, (2) „quod plures habeat syllabas, quam tres, numerus a quibusdam, non pes habetur. Est quidem, ut inter omnes constat antiquos, Aristotelem, Theophrastum, Theodectem, Ephorum,

(1) c. 57. Cf. Harles, ad Cic. de Orat. III, 47.
(2) Orat. c. 64.

unus aptissimus orationi vel orienti vel mediae: putant illi etiam cadenti." Hunc locum Cicero fere ad verbum ex Aristotele interpretatus est; hic enim libro tertio de Rhetorica (1): Τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ λεκτικὸς (2) καὶ ἁρμονίας δεόμενος, ὁ δ' ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν· διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες. δεῖ δὲ σεμνότητα γενέσθαι καὶ ἐκστῆσαι. ὁ δὲ τροχαῖος κορδακικώτερος· δηλοῖ δὲ τὰ τετράμετρα· ἔστι γὰρ τροχερὸς ῥυθμὸς τὰ τετράμετρα. λείπεται δὲ παιάν. —— ἔστι δὲ τρίτος ὁ παιάν, καὶ ἐχόμενος τῶν εἰρημένων· τρία γὰρ πρὸς δύ' ἐστίν, ἐκείνων δὲ ὁ μὲν ἓν πρὸς ἕν, ὁ δὲ δύο πρὸς ἕν. ἔχεται δὲ τῶν λόγων τούτων ὁ ἡμιόλιος· οὗτος δ' ἐστὶν ὁ παιάν. οἱ μὲν οὖν ἄλλοι διά τε τὰ εἰρημένα ἀφετέοι, καὶ διότι μετρικοί· ὁ δὲ παιὰν ληπτέος· ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔστι μέτρον τῶν ῥηθέντων ῥυθμῶν, ὥστε μάλιστα λανθάνειν. νῦν μὲν οὖν χρῶνται τῷ ἑνὶ παι-

(1) c. 8. Cff. Cic. de Orat. III, 47: „Atque illi philosopho ordiri placet a superiore paeone, posteriore finire", c. 50: „aut in paeone illo posteriore quem Aristoteles probat," et Orat. c. 63: „dichoreus, — quem Aristoteles ut optimum probat; a quo dissentio." (2) Du Vallius et Bekkerus merito eliserunt voculam οὐ, quam nonnulli receperant; modo vocem λεκτικὸς rite interpretemur, *cum delectu*, id est *caute* atque *parce* adhibendus; quo fit, ut et haec vox sequentibus, ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν, opponatur, et ambo Ciceronis loca, quae inter se pugnare videntur, optime concilientur.

ἄνι καὶ ἀρχόμενοι, δεῖ δὲ διαφέρειν τὴν τελευτὴν τῆς ἀρχῆς. ἔϛι δὲ παιᾶνος δύο εἴδη ἀντικείμενα ἀλλήλοις, ὧν τὸ μὲν ἐν ἀρχῇ ἁρμόττει, ὥσπερ καὶ χρῶνται· οὗτος δ᾽ ἐϛὶν οὗ ἄρχει μὲν ἡ μακρά, τελευτῶσι δὲ τρεῖς βραχεῖαι. – ἕτερος δ᾽ ἐξ ἐναντίας, οὗ βραχεῖαι ἄρχουσι τρεῖς, ἡ δὲ μακρὰ τελευταία· – οὗτος δὲ τελευτὴν ποιεῖ. „Hanc igitur," ita porro Cicero (1), „sive compositionem, sive perfectionem, sive numerum vocari placet, adhibere necesse est, si ornate velis dicere, non solum (quod ait Aristoteles et Theophrastus) ne infinite feratur, ut flumen, oratio, quae non aut spiritu pronuntiantis, aut interdictu librarii, sed numero coacta debet insistere: verum etiam, quod multo majorem habent apta vim, quam soluta." His verbis Cicero ea retulit, quae Aristoteles libro III, c. 8 Rhetoricorum suorum exposuerat: Τὸ δὲ σχῆμα τῆς λέξεως δεῖ μήτε ἔμμετρον εἶναι μήτε ἄῤῥυθμον· τὸ μὲν γὰρ ἀπίθανον (πεπλάσθαι γὰρ δοκεῖ) καὶ ἅμα καὶ ἐξίϛησιν· — τὸ δὲ ἄῤῥυθμον ἀπέραντον, δεῖ δὲ πεπεράνθαι μέν, μὴ μέτρῳ δέ· ἀηδὲς γὰρ καὶ ἄγνωϛον τὸ ἄπειρον. περαίνεται δὲ ἀριθμῷ πάντα· ὁ δὲ τοῦ σχήματος τῆς λέξεως ἀριθμὸς ῥυθμός ἐϛιν, οὗ καὶ τὰ μέτρα τμητά· διὸ ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή (2).

In his exponendis brevitati non consulendum esse duxi, ut, comparatione instituta, magis appa-

(1) Orat. c. 68. (2) Cf. Cic. Orat. c. 31. „Versum in oratione vetat esse, numerum jubet." c. 20 et de Orat. I, 59, Quinct. I. O. IX, 4, §. 82, 87, 88.

reat, quos fructus Cicero in numerosa oratione conficienda ex Aristotele perceperit; ex qua comparatione hoc item patere mihi videtur, Ciceronem magis etiam in suo Oratore quam libro tertio de Oratore Aristotelis libri tertii de Rhetorica rationem et disputandi ordinem esse secutum.

Ciceronis Orationes et Epistolae.

„Duo sunt", ut ait Cicero (1), „quae bene tractata ab oratore, admirabilem eloquentiam faciant; quorum alterum est, quod Graeci ἠθικὸν vocant, ad naturas, et ad mores, et ad omnem vitae consuetudinem accommodatum; alterum, quod iidem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi et concitantur, in quo uno regnat oratio. Illud superius, come, jucundum, ad benivolentiam conciliandam paratum: hoc, vehemens, incensum, incitatum, quo causae eripiuntur: quod, cum rapide fertur, sustineri nullo pacto potest. Quo genere nos, mediocres, aut multo etiam minus: sed magno semper usi impetu, saepe adversarios de statu omni dejecimus. Nobis pro familiari reo summus orator non respondit Hortensius (2). A nobis homo audacissimus Catilina in senatu accusatus obmutuit. Nobis privata in causa magna et gravi quum coepisset Curio pater respondere, subito

(1) Orat. c. 37. (2) Significat Cicero actiones in Verrem.

assedit (1), quum sibi venenis ereptam memoriam diceret. Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, quod etiam si plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant."

Utriusque praecepti praestantiam Aristoteles egregie tenens, quum omnis eloquentiae principium τὸ ἐνδεχόμενον πιθανὸν esse censeret: Ἐπεὶ δὲ, inquit (2), ἕνεκα κρίσεώς ἐστιν ἡ ῥητορικὴ — ἀνάγκη μὴ μόνον πρὸς τὸν λόγον ὁρᾷν, ὅπως ἀποδεικτικὸς ἔσται καὶ πιστός, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν ποιόν τινα καὶ τὸν κριτὴν κατασκευάζειν· πολὺ γὰρ διαφέρει πρὸς πίστιν, μάλιστα μὲν ἐν ταῖς συμβουλαῖς, εἶτα δὲ καὶ ἐν ταῖς δίκαις, τὸ ποιόν τινα φαίνεσθαι τὸν λέγοντα καὶ τὸ πρὸς αὐτοὺς ὑπολαμβάνειν ἔχειν πως αὐτόν, πρὸς δὲ τούτοις ἐὰν καὶ αὐτοὶ διακείμενοί πως τυγχάνωσιν. κ. τ. λ. Praeclara loca de judicibus commovendis, de affectibus, de moribus juvenum, virorum, senum, divitum, optimatium, Rhetoricorum magnam partem complent (3). Quum autem Aristoteles magis dicendi magister, Cicero summus orator exstiterit, ita quoque ille τῇ πειθοῖ διδασκαλικῇ

---

(1) In oratione, qua et ipsum et P. Clodium lacessivit. Cf. Schol. Bob. in Orat. in Vat. apud Orell. Cic. Opp. Vol. V, p. 320. (2) Rhet. II, 1 init. (3) I, 10—15 et II. Cff. Rhet. ad Alex. c. 35—39 et Ph. G. van Heusde, Init. II, II, p. 152, qui laudat egregium locum Ciceronis de Orat. II, 43, 44.

summam vim in eloquentia tribuit (1), hic vero, licet alteram facultatem minime neglexerit, τῇ πειθοῖ πιςευτικῇ praecipuas palmas concessit. Oratori gladii instar erat Aristotelis syllogistica ad causam vindicandam et adversariorum argumentationes refutandas. Saepe quoque Cicero in utramque partem disputandi ratione, definitionibus, partitionibus, sententiis (2), comparationibus (3), causam maxime illustravit.

His acquiescendum esse duxi; deperditis enim Aristotelis exotericis scriptis, exemplis e Ciceronis orationibus singula confirmare aleae instar esse videretur, cum, et in vanis conjecturis subsistendum, et in vacuo digladiandum mihi foret.

Dolendum maxime est, ex Epistolis, quas Aristotelem haud paucas scripsisse constat, fragmenta tantum quaedam, eaque tam parva et

---

(1) Cff. Quinct. I. O. II, 15 et Stallbaum ad Plat. Gorg. c. 9 in f. (2) Casaubonus adeo, ad Diog. Laërt. V, Sect. 17, Aristotelis sententiam, οὐ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν ἄνθρωπον ἠλέησα, Ciceronem in oratione pro Quintio his verbis expressisse censet: „Si non hominis, at humanitatis rationem haberet;" quod nimis quaesitum mihi videtur. (3) Cf. imprimis Arist. Pol. III, 4, 11. Frequentes sunt apud utrumque comparationes nautae cum cive, gubernatoris cum civitatis rectore, medicinae cum juris scientia. Ex orationibus Ciceronis conferantur Act. II in Verrem, I, 49—58, II, 7—10, III, 27 sqq., pro Font. c. 13, in Catil. Orat. I, c. 1.

auctoritatis tam incertae superesse, ut ex iis conjectura quicquam augurari non liceat; si tamen magnifico Demetrii Phalerii, ut vulgo creditur (1), judicio fides habenda, egregiis virtutibus se commendasse videantur; admiratur enim in iis maxime ἀποδείξεων usum et dialogi formam, ita ut sine meditatione scriptae et quasi munera, quibus amicis gratularetur, fuisse videantur (2).

---

(1) Libro περὶ ἑρμηνείας, §. 231—244. Hic Demetrius, rhetor, qui sub Augusto vixit, fuisse videtur. Cff. Simpl. Prol. ad Arist. Cat. fol. 2 γ, Buhle, Gesch. der Phil. III, p. 254, Wytt. Bibl. Crit. II, VI, p. 93 sqq. et Stahr, I, p. 202, 203, II, p. 191, 195 sqq. (2) Epistolas ab Aristotele conscriptas recensuit Diogenes Laërtius, V, sect. 27. Cff. Menagius ad Laërt. Vol. II, p. 197, 198, Stahr, l. l. et I, p. 204 sqq., II, p. 169 sqq., Titze, O. l. p. 31, 35, 45, 77 sqq., Buhle in Ersch. et Grüber, Encycl. T. V, p. 286, Gellius, N. A. XX, 5.

CAPUT IV.

DE CRITICAE ARTIS USU IN CICERONIS SCRIPTIS.

Cicero, Aristotelis doctrina imbutus, criticam artem, cujus hic auctor fuisse dicitur (1), cum historiae studiis imprimis conjunxit. Est enim, ex ejus sententia, historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis, quae nulla alia, nisi oratoris, voce immortalitati commendatur (2). Hanc igitur historiae vim percipiens, ut Aristoteles doctrinis instaurandis apud Graecos ejus studia provexit (3),

(1) Dio Chrysost. Orat. III, p. 553. Ἀριστοτέλης, ἀφ' οὗ φασι τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν.
(2) de Orat. II, 9. (3) Ph. G. van Heusde, Char. p. 160—163.

ita Cicero novae ejus tractandae rationis apud Romanos auctor fuit; Romanos enim, qui annalibus conscribendis totum historiae munus absolutum esse existimabant, exagitans (1), Graecos, eloquentiam cum historia conjungentes, maxime imitandos esse censet: „Age vero, inquit Antonius (2), qualis oratoris, et quanti hominis in dicendo, putas esse, historiam scribere? Si, ut Graeci scripserunt, summi, inquit Catulus: si, ut nostri, nihil opus est oratore: satis est, non esse mendacem. — Nemo enim studet eloquentiae nostrorum hominum, nisi ut in causis atque in foro eluceat: apud Graecos autem eloquentissimi homines, remoti a causis forensibus, quum ad ceteras res illustres, tum ad scribendam historiam maxime se applicaverunt." Quod quum, allatis principum Graecorum historicorum exemplis, confirmasset Antonius: „Videtisne," inquit (3), „quantum munus sit oratoris historia? Haud scio, an flumine orationis, et varietate maximum; neque tamen eam reperio usquam separatim instructam rhetorum praeceptis. — Nam quis nescit, primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat? deinde ne quid veri non audeat? ne qua suspicio gratiae sit in scribendo? ne qua simultatis"?

Haec prima historiae lex, *verum a falso di-*

---

(1) de Orat. II, 12, de Legg. I, 2. (2) de Orat. II, 12, 13. (3) Ibid. c. 15. Cff. Orat. c. 20, Brut. c. 43 in f.

stinguere, *memoriae prodita dijudicare*, fundamentum fuit omnis criticae artis, quae orta quidem e cernendi arte inveniendique methodo Platonis, judicandi tamen praeceptis sive syllogisticae Aristotelis magis accommodata et ab hoc quoque maxime culta fuit (1). Critica, ad dispellendas nebulas omnes in studio veritatis imprimis efficax, disputandi in utramque partem rationem maxime provexit et oratori δεινότητα, vim dicendi, conciliavit. Hanc igitur artem Cicero imprimis in censendis oratoribus, philosophis, historicis adhibuit, et, ut Aristoteles (2), non scripta scriptorumve editiones, sed ipsos scriptores, eorum placita variaque in literis merita, characterismum ut ita dicam, spectavit maxime.

In oratoribus eorumque generibus recensendis in Bruto sive dialogo de Claris Oratoribus, Cicero egregium se criticum praestitit. In quo opere palmario conscribendo praesto ei fuit Aristotelis similis argumenti liber περὶ τεχνῶν συναγωγῆς (3). Licet autem hîc quoque comparandi facultatem injuria temporum nobis eripuerit, ex ipsius tamen Ciceronis testimoniis quanti hoc opus fecerit judicare conceditur: „Veteres scriptores artis, usque a principe illo atque inventore Tisia repeti-

---

(1) Ph. G. van Heusde, Init. II, II, p. 175 sqq. (2) Cff. Buhle, O. l. III, p. 239 sqq. et Titze, O. l. p. 120. (3) Cff. Menagius ad Diog. Laërt. V, 24 (T. II, p. 194) et Stahr, II, p. 153.

tos, unum in locum conduxit Aristoteles, et nominatim cujusque praecepta magna conquisita cura perspicue conscripsit, atque enodata diligenter exposuit: ac tantum inventoribus ipsis suavitate et brevitate dicendi praestitit, ut nemo illorum praecepta ex ipsorum libris cognoscat, sed omnes, qui quod illi praecipiant, velint intelligere, ad hunc, quasi ad quendam commodiorem explicatorem, revertantur. Atque hic quidem ipse, et sese ipsum nobis, et eos, qui ante se fuerant, in medio posuit, ut et ceteros et se ipsum per se cognosceremus" (1).

Quum Cicero in libris de Oratore (2) optimos jam oratores apud Graecos cum Romanis comparasset eorumque diversam indolem variaque studia strictim indicasset, operis de Claris Oratoribus, cujus conscribendi auctor ei Atticus fuit, argumentum arctissime conjunctum esse voluit cum eo, quod in illo opere et in Oratore sibi exquirendum proposuerat, oratores dijudicare, quando esse coepissent, qui etiam et quales fuissent; mediocres enim non minus quam optimos oratores summo acumine recensens, dicendi praecepta cum hac oratorum enumeratione conjungens, viam ad perfectum oratorem in suo Oratore fingendum hoc opere sibi stravit: „Quum Aristoteles," ait,

(1) de Inv. II, 2. Cf. Cic. Brut. c. 12 et de Orat. II, 38, disp. n. p. 26, 27. (2) II, 22, 23, III, 7, 8.

„itemque Theophrastus, cum philosophia dicendi etiam praecepta conjunxerint; nostri quoque oratorii libri in eundem numerum referendi videntur. Ita tres erunt de Oratore, quartus Brutus, quintus Orator" (1).

Quantopere critica arte Aristoteles usus sit in historia gentium pertractanda testatur opus ejus περὶ πολιτειῶν, in quo centum quinquaginta octo civitatum leges, formas, instituta exposuit (2), in quibus ne Roma (3) quidem, eo tempore fere ignota, latuisse videtur; ex quo opere, quamvis pauca tantum fragmenta supersint, ex his tamen ipsis (4), non minus quam ex Ciceronis testimonio (5), apparet, quam diligenter singula perse-

---

(1) de Div. II, 1. (2) Diog. Laërt. V, sect. 27; Ammonius in vita ducentas quinquaginta fuisse censet. Cf. Arist. Nic. X, cap. ult. (3) Heeren de font. Plut. p. 119. (4) *Rerum publicarum reliquias* collegit F. Neuman, 1827 in 8°. (5) de Fin. V, 4; hoc opus Cicero quoque significare videtur de Legg. II, 5 et III, 5 et 6. Cff. Stahr, II, p. 157 et A. b. d. R. p. 51, Buhle, O. l. III, p. 168: „Er nahm die *Geschichte* zur ersten Lehrerinn im politischen Felde, sammelte gemeinschaftlich mit seinem vertrautesten Schüler, dem Theophrast, Notizen von allen damals bekannten Staatsconstitutionen, achtete hauptsächlich auf die Wirkungen, welche sie hervorgebracht hatten, suchte die Gründe dieser Wirkungen auf, und schritt so durch Abstraction aus der Kritik der vorhandenen positiven Verfassungen zur Idee einer Staats-

catus sit. Pari ingenii acumine in libris suis Politicis varias legumlatorum sententias, Spartanorum, Cretensium, Carthaginiensium, Atheniensium rerum publicarum formas, contrarias de regno ceterisque in civitate constitutionibus sententias critico examini subjecit.

Ut obiter moneam, criticae Peripateticorum disquisitiones ex hac praeclara doctrina prodierunt permultae (1), ita Heraclides Ponticus de rebus publicis, Phanias de historia philosophiae (2), Dicaearchus et Demetrius Phalereus de gentium historia scripserunt.

In tanta fragmentorum inopia, quamvis in hac item nostrae disquisitionis parte magnas fuisse laudes Aristotelis appareat, nec studia ejus historica cum historicis Ciceronis scriptis, in quibus unice Aristotelis pigmenta (3) laudantur, nec ejus opus de historia philosophiae, cujus pars tantum superest in libro de Xenophane, de Zenone, de Gorgia (4), cum Hortensio sive

---

form fort, welche die wenigsten Uebel für jedes gegebene Volk überhaupt haben möchte." (1) de Fin. V, 3. (2) Brücker, O. l. I, p. 837, Stahr, II, p. 81. (3) ad Att. II, Ep. 1. (4) Cff. Ph. G. van Heusde, Char. p. 161, 235 et Am. Jacques, Aristote considéré comme historien de la philosophie, Paris, 1837; Krische, O. l. p. 89, hoc fragmentum opus ὑπομνηματικὸν fuisse putat; equidem acroamaticis accensere et pro parte majoris operis de Philosophia habere malim.

libro de philosophia comparare licet; hoc vero Ciceronis opus, in quantum historiae philosophiae detrimentum sit deperditum, apparet maxime e disquisitionibus, quas, in recensendis diversarum sectarum placitis, in libris philosophis instituit (1); ubique enim in scriptis suis utriusque gentis tam philosophos, quam historicos et oratores critice dijudicavit (2).

---

(1) Conf. Cic. de Fin. II, 11, 13, III, 9, IV, 18, V, 7, 8, Tusc. I, 9, 10, 11, V, 30. (2) Cff. de Fin. I, 2, de Orat. III, 16—19, ubi brevis conspectus historiae philosophiae, et de Legg. I, 2, cujus capitis quasi commentarium est lib. II de Orat., c. 12, 13; quo loco Antonius historicos latinos cum Graecis comparat. Cff. G. J. Vossius de Hist. Lat. I, 1, Fabr. Bibl. Lat. I, p. 188 Ed. Ern.

CAPUT V.

CICERONIS POLITICA DOCTRINA.

Magni fecit Cicero tam Platonis quam Peripateticorum in rem publicam merita: „Magnus locus, philosophiaeque proprius, a Platone, Aristotele (1), Theophrasto totaque Peripateticorum familia tractatus uberrime" (2).

Peripatetici et ipse Aristoteles, apud Macedones imprimis gratiosi, in aula principum plurimum versati sunt; Alexandri Aristoteles (3),

(1) „Aristoteles," ut ait Rhunkenius, Opusc. (Lugd. Bat., 1807) p. 99, „si nullum aliud ingenii monumentum condidisset, — solis aureis de optimae rei publicae institutione libris nomen suum ad immortalitatis memoriam consecrasset." Cff. Ph. G. van Heusde, Char. p. 135 et Stahr, I, p. 177, 178. (2) de Div. II, 1. Cff. de Orat. III, 28 et de Fin. IV, 2, 3. (3) Plut. vita Alex. c. 7, Gellius, N. A. XX, 5. Cf. Stahr, I, p. 95 sqq.

Ptolemaei Philadelphi Strato praeceptor fuit; Theophrastus Cassandri et Ptolemaei (1), Lyco Attali et Eumenis familiaritate usus est, Demetrius Phalereus, Theophrasti discipulus, Atheniensibus praefuit, Critolaus iis accensetur, qui Catonis aetate a Graecis Romam legati sunt. „Peripatetici," ut ait Cicero (2), „sibi cum oratoribus cognationem esse, claros viros a se instructos dicunt rem publicam saepe rexisse."

Cicero igitur, quum ab Academicis maxime theoreticam, a Peripateticis vero, qui multo magis ad vitae usum omnem doctrinam, imprimis politicam, accommodantes, eam prudentia niti censebant (3), practicam hujus doctrinae partem repetiisset, non ut Plato philosophum, sed oratorem (4), a philosophia vitae usum non secernentem, eum esse censuit, qui gubernacula civitatis optime temperare posset, et eloquentiam cum doctrina politica arctissimo vinculo conjunxit. „Age vero," inquit Cicero (5), „urbibus constitutis, ut fidem colere, et justitiam retinere discerent, et aliis parere sua voluntate consuescerent, ac non modo labores excipiendos communis com-

(1) disp. n. p. 45 nota 1. (2) Acad. II, 36. (3) Arist. Nic. X, 8: Συνέζευκται δὲ καὶ ἡ φρόνησις τῇ τοῦ ἤθους ἀρετῇ, καὶ αὕτη τῇ φρονήσει, εἴπερ αἱ μὲν τῆς φρονήσεως ἀρχαὶ κατὰ τὰς ἠθικάς εἰσιν ἀρετάς, τὸ δ' ὀρθὸν τῶν ἠθικῶν κατὰ τὴν φρόνησιν. Cff. M. M. I, 2 in f., 35 et II, 3. (4) de Orat. III, 20. (5) de Inv. I, 2.

modi causa, sed etiam vitam amittendam existimarent: qui tandem fieri potuit, nisi homines ea, quae ratione invenissent, eloquentia persuadere potuissent"? et in libris de Oratore (1): „Quae vis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare, aut a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere, aut, jam constitutis civitatibus, leges, judicia, jura describere? — Sic enim statuo, perfecti oratoris moderatione et sapientia non solum ipsius dignitatem, sed et privatorum plurimorum, et universae rei publicae salutem maxime contineri." Hinc item in re publica eloquentiae primas, juris scientiae secundas concessit: quum in altera, gratiae, gloriae, praesidii plurimum esset: in altera persecutionum, cautionumque praeceptio; quae quidem ipsa auxilium ab eloquentia saepe peteret, ea vero

---

(1) I, 8. Cf. Brut. c. 6, Tusc. I, 1, de Off. I, 16, de Legg. I, 9, de Rep. III, 2, et Arist. Pol. I, 2, p. 1253, a. 9 sqq.: Λόγον δὲ μόνον ἄνθρωπος ἔχει τῶν ζῴων. — ὁ δὲ λόγος ἐπὶ τῷ δηλοῦν ἐςὶ τὸ συμφέρον καὶ τὸ βλαβερόν, ὥςε καὶ τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον. τοῦτο γὰρ πρὸς τἄλλα ζῷα τοῖς ἀνθρώποις ἴδιον, τὸ μόνον ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ καὶ δικαίου καὶ ἀδίκου καὶ τῶν ἄλλων αἴσθησιν ἔχειν. ἡ δὲ τούτων κοινωνία ποιεῖ οἰκίαν καὶ πόλιν. Cff. etiam Kuehner, O. l. p. 77, imprimis p. 78 notis 5 et 6 et J. A. C. van Heusde, O. l. p. 173 (ibique laudatum Manutium in argumento orat. pro lege Manilia Ed. Graev. t. II praem.) et p. 216 sq.

repugnante vix suas regiones finesque defenderet (1)..

Ab hac doctrinam politicam tractandi ratione nec Aristoteles alienus fuit, qui in Rhetoricis quoque suis τῆς ῥητορικῆς τὴν πολιτικὴν partem esse censuit (2), in hoc opere adeo quot et quales sint rerum publicarum formae breviter exposuit (3). Merito igitur Cicero, libro quarto de Finibus (4), Peripateticos induxit ita loquentes: „Omnium rerum publicarum rectiones, genera, status, mutationes, leges etiam et instituta ac mores civitatum perscripsimus. Eloquentiae vero, quae et principibus maximo ornamento est, et qua te audivimus valere plurimum, quantum tibi ex monumentis nostris addidisses"!

Cicero, qui, ut pluribus locis significavit (5), rei publicae causa philosophiam explicandam putavit, qui civitatum gubernatores non tantum philosophia, verum maxime praeclarissimo sapientiae munere instruendos esse docuit (6), philosophis

---

(1) Orat. c. 41. (2) Rhet. I, 4, p. 1359. b. 9 sqq.: Ἀληθές ἐστιν, ὅτι ἡ ῥητορικὴ σύγκειται μὲν ἔκ τε τῆς ἀναλυτικῆς ἐπιστήμης καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πολιτικῆς. Contra Nic. I, 1 τὴν ῥητορικὴν τῇ πολιτικῇ subjecit; statuendum vero τὴν ῥητορικὴν hoc loco tanquam artem quandam propositam, in Rhetoricis contra in genere sumtam fuisse. (3) Rhet. I, 8. Cf. Rhet. ad Alex. c. 1. (4) c. 22. (5) de N. D. I, 4, de Off. I, 1, II, 1. (6) de Rep. I, 6, 12, 20, II, 12, 23, 29, III, 3, 12, 41, Tusc. V, 25, de Off. II, 2, Lael. c. 5. Non enim hanc

eos, qui civitatem gubernantur longe anteponendos esse duxit: „Nihil enim", inquit (1), „dicitur a philosophis, quod quidem recte honesteque dicatur, quod non ab his partum confirmatumque sit, a quibus civitatibus jura descripta sunt. Unde enim pietas? aut a quibus religio? unde jus aut gentium, aut hoc ipsum civile quod dicitur? unde justitia, fides, aequitas? unde pudor, continentia, fuga turpitudinis, appetentia laudis et honestatis? unde in laboribus et periculis fortitudo? Nempe ab his, qui haec disciplinis informata, alia moribus confirmarunt, sanxerunt autem alia legibus. — Ergo ille, cives qui id cogit omnes imperio legumque poena, quod vix paucis persuadere oratione philosophi possunt, etiam his, qui illa disputant, ipsis est praeferendus doctoribus. Quae est enim istorum oratio tam exquisita, quae sit anteponenda bene constitutae civitati publico jure et moribus? Equidem quemadmodum

Urbes magnas atque imperiosas,

ut appellat Ennius, viculis et castellis prae-

---

sapientiam intelligebat, quam Stoici, sed eam, ut refert in Laelio, c. 26, quae videtur in hominem cadere posse. Cff. Arist. M. M. I, 35, p. 1197, b. 27 sqq.: Ἀπορήσειε δ᾽ἂν τις καὶ θαυμάσειε, διὰ τί, ὑπὲρ ἠθῶν λέγοντες καὶ πολιτικῆς τινὸς πραγματείας, ὑπὲρ σοφίας λέγομεν. ὅτι ἴσως γε πρῶτον μὲν οὐδ᾽ἀλλοτρία δόξειεν ἂν εἶναι ἡ σκέψις ἡ ὑπὲρ αὐτῆς, εἴπερ ἐςὶν ἀρετή κ. τ. λ. Nic. VI, 7, Eud. V, 7, Met. I, 1, 2 et Ritter, O. l. III, p. 340, 311. (1) de Rep. I, 2.

ferendas puto, sic eos, qui his urbibus consilio atque auctoritate praesunt, his, qui omnis negotii publici expertes sint, longe duco sapientia ipsa esse anteponendos''. — ,,Neque enim est ulla res, in qua propius ad Deorum numen virtus accedat humana, quam civitates aut condere novas aut conservare jam conditas" (1). — Ipsius Aristotelis nulla superest perfecti civitatis gubernatoris notio, quae enim libro nono (p. 488, E. Du Vallii editionis) leguntur, ὁ τὴν τῶν λόγων δύναμιν ὁλόκληρον κεκτημένος, καὶ τὴν φρόνησιν πᾶσαν καὶ σύνεσιν καὶ δεινότητα, τὴν ἀρχικὴν, καὶ βουλευτικήν, dicuntur quidem Aristotelis, sunt vero Cyriaci Strozzae, qui hunc librum restituere conatus est.

Diversum fuit et Aristotelis et Ciceronis a Platonis opere de Re publica propositum, hujus Ethicam complecti (2), illorum vero politicum opus condere; hinc uterque non, ut Plato, a justitiae, sed a populi et civitatis definitione incipit; neuter tamen, ne Aristoteles quidem, quem multi nimis maligne ideo perstringunt, politicam doctrinam a morum doctrina sejunxit, quod de Cicerone verum esse vix est, quod probem; unum enim hunc locum afferre sufficiat: ,,Renuntio vobis", ait Scipio, libro secundo de Re publica (3), ,,nihil esse, quod adhuc de re publica dictum putemus, aut quo possimus longius pro-

(1) lb. c 7. (2) Ph. G. van Heusde, Init. III, p. 150 sqq. (3) de Rep. II, 44. Cf. de Fin. V, 23.

gredi, nisi erit confirmatum, non modo falsum illud esse, sine injuria non posse, sed hoc verissimum esse, sine summa justitia rem publicam geri nullo modo posse". Hunc locum sebsequitur egregia illa disputatio libri tertii, contra et pro justitia; de qua jam supra monui (1).

Pari modo Aristoteles arctissimo vinculo politica sua et ethica scripta conjunxit; τὰ καλὰ enim et τὰ δίκαια τῆς πολιτικῆς finem esse censuit (2): Διὸ δεῖ τοῖς ἔθεσιν ἦχθαι καλῶς τὸν περὶ καλῶν καὶ δικαίων καὶ ὅλως τῶν πολιτικῶν ἀκουσόμενον ἱκανῶς (3). Esse enim bene, κατὰ τὸ ἁπλῶς δίκαιον, constitutae civitatis τὸ κοινῇ συμφέρον spectare (4). Cum vero civitas sine justitia et fortitudine bene regi non possit (5), oportere igitur in optima civitate civem eum esse, qui possit et parere et imperare, virtutem, quam aeque ac Cicero usu demum valere censuit, ut actionum vim moventem sibi proponens: Μόνον ἀνδρὸς, inquit, τὸν πρακτικὸν εἶναι βίον καὶ πολιτικόν· ἐφ' ἑκάστης γὰρ ἀρετῆς οὐκ εἶναι πράξεις μᾶλλον τοῖς ἰδιώταις ἢ τοῖς τὰ κοινὰ πράττουσι καὶ πολιτευομένοις (6). Si igitur quis,

---

(1) disp. n. p. 95 sq. Cff. Cic. de Rep. III, 13, Ph. G. van Heusde, l. l, et Kuehner, O. l. p. 47. (2) Nic. I, 1. (3) Ib. c. 2. Cf. c. 9 et Pol. I, 1, VII, 2, 7, 14, 15. (4) Pol. III, 6 in f. (5) Ib. c. 12. (6) Ib. VII, 2, p. 1324, a. 39 sqq. Cff. III, 9, 10, Nic. I, 13, Eud. I, 5, VII, 12 et 15, Rhet. ad Alex. c. 2 et Themistius, Or. de praef. susc. c. 6. Similis locus

vel solus, vel plures simul ceteris ita praestantia et exsuperantia virtutis antecellant, ut reliquorum omnium, neque virtus, neque civilis auctoritas, illius illorumve virtuti et auctoritati sit adaequanda, quicunque talis est, quasi Deus inter homines erit praedicandus (1): Νῦν δ' ὑποκείσθω τοσοῦτον, ὅτι βίος μὲν ἄριστος, καὶ χωρὶς ἑκάστῳ, καὶ κοινῇ ταῖς πόλεσιν, ὁ μετὰ ἀρετῆς κεχορηγημένης ἐπὶ τοσοῦτον ὥστε μετέχειν τῶν κατ' ἀρετὴν πράξεων (2). Politices igitur partem et principium esse doctrinam de moribus, ethicam ipsam magis bonum politicum vel practicum quam bonum per se spectare, do-

---

est apud Ciceronem de Rep. I, 2: „Nec vero habere virtutem satis est, quasi artem aliquam, nisi utare. — Virtus in usu sui tota posita est; usus autem ejus est maximus civitatis gubernatio, et earum ipsarum rerum, quas isti (philosophi) in angulis personant, reapse, non oratione, perfectio". (1) Pol. III, 13. Cum hoc loco operae pretium erit conferre Cic. de Rep. I, 34: „Virtute vero gubernante rem publicam, quid potest esse praeclarius? quum is, qui imperat aliis, servit ipse nulli cupiditati; quum quas ad res cives instituit et vocat, eas omnes complexus est ipse, nec leges imponit populo, quibus ipse non pareat, sed suam vitam, ut legem, praefert suis civibus. Qui si unus satis omnia consequi posset, nihil opus esset pluribus; si universi videre optimum et in eo consentire possent, nemo delectos principes quaereret." (2) Pol. VII, 1, p. 1323, b. 40 sqq. Cff. Ib. c. 15, I, 2, III, 4, 18, Rhet. ad Alex. c. 39 in f.

cuit (1); quam viam Ciceronem quoque secutum esse neminem fugiet, qui modo ejus libros de Officiis cum Ethicis Aristotelis comparare voluerit.

Hominibus, e Ciceronis sententia, prima in societatem civilem coëundi causa est non tam imbecillitas quam naturalis quaedam quasi congregatio (2); atque, ut apum examina (3) non fingendorum favorum causa congregantur, sed, quum congregabilia natura sint, fingunt favos: sic homines, ac multo etiam magis, natura congregati, adhibent agendi cogitandique sollertiam (4).

Similis est Aristotelis de civitatis origine sententia: *Πᾶσα πόλις φύσει ἐςίν, εἴπερ καὶ αἱ πρῶται κοινωνίαι· τέλος γὰρ αὕτη ἐκείνων, ἡ δὲ φύσις τέλος ἐςίν. — Φανερὸν οὖν ὅτι τῶν φύσει ἡ πόλις ἐςί, καὶ ὅτι ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῶον, καὶ ὁ ἄπολις διὰ φύσιν καὶ οὐ διὰ τύχην ἤτοι φαῦλός ἐςιν ἢ κρείττων ἢ ἄνθρωπος* (5). — *Δῆλον τοίνυν ὡς οὗτός ἐςι πόλεως ὅρος ἄριςος, ἡ μεγίςη τοῦ πλήθους ὑπερβολὴ*

---

(1) Nic. I, 3 et 4, M. M. I, 7, Eud. I, 7. Cf. Ritter, O. l. III, p. 294, 295. (2) de Rep. I. 25. Cff. de Legg. I, 12, 13, Kuehner, O. l. p. 261, 262, imprimis notis 6 et 7. (3) de Fin. III, 19, IV, 2, de Legg. I, 5, 15. Cff. Arist. Pol. I, 2, p. 1253, a. 7 sq.: *Πολιτικὸν ὁ ἄνθρωπος ζῶον πάσης μελίττης, καὶ παντὸς ἀγελαίου ζώου μᾶλλον*, Nic. I, 5, Eud. VII, 10, Raumer, Gesch. Entw. p. 15 sqq. (4) de Off. I, 44. Cff. c. 4 et 16 et de Fin. III, 20. (5) Pol. I, 2, p. 1252, b. 30 sqq. Cff. Cic. de Fin. V, 23 et ad h. l. Madvigius, p. 732.

πρὸς αὐτάρκειαν ζωῆς εὐσύνοπτος (1). Cujus sententiae quasi uberiorem explicationem haec continent Ciceronis verba (2): „Quum sit hoc naturâ commune animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso conjugio est: proxima in liberis: deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis et quasi seminarium rei publicae. Sequuntur fratrum conjunctiones; post consobrinorum, sobrinorumque; qui quum una domo jam capi non possint, in alias domos tanquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia, et affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Quae propagatio et soboles origo est rerum publicarum". Est igitur Ciceroni civitas non omnis hominum coetus quoquo modo congregatus, sed coetus multitudinis juris consensu et utilitatis communione sociatae. Hinc quoque rem publicam vocat *rem populi*, *rem patriae*, *rem communem* (3). In qua proponenda populi notione, Ciceroni non minus quam Polybio (4), Aristoteles viam praemunivit, qui, ex duobus civium ordinibus, divitibus et pauperibus, civitatem constituendam esse censens, ita quidem ut, quod

(1) Pol. VII, 4 in f. III, 1, 6, 9, Nic. I, 5; hinc distinctio inter civem perfectum et imperfectum Pol. III, 5. Cff. Ritter, O l. III, p. 356 sq., Ph. G. van Heusde, Diat. in Civ. Ant. p. 38, Hulleman, Disq. Phil. Hist. de Legg. Lib. Civ. Vind. p. 4 sq., 10 sq., B. J. Lintelo de Geer, Disq. de Lib. Civ. apud Veteres p. 15. (2) de Off. I, 17. (3) Kuehner, l. l. (4) Ἱστορ. VI, 4.

utrisque visum sit, ratum habeatur, sin contrariae sententiae fuerint, id valeat quod plures, vel ex pauperibus, vel ex iis quorum lautior erit res familiaris, probarint: *Περὶ μὲν τοῦ ἴσου*, inquit (1), *καὶ τοῦ δικαίου, κἂν ᾖ πάνυ χαλεπὸν εὑρεῖν τὴν ἀλήθειαν περὶ αὐτῶν, ὅμως ῥᾷον τυχεῖν ἢ συμπεῖσαι τοὺς δυναμένους πλεονεκτεῖν· ἀεὶ γὰρ ζητοῦσι τὸ ἴσον καὶ τὸ δίκαιον οἱ ἥττους, οἱ δὲ κρατοῦντες οὐδὲν φροντίζουσιν.*

Quum igitur Aristoteles in omni doctrina vitae usum maxime respiceret, amicitiam quoque firmum societatis civilis fundamentum esse voluit: *Φιλίαν οἰόμεθα μέγιστον εἶναι τῶν ἀγαθῶν ταῖς πόλεσιν (οὕτω γὰρ ἂν ἥκιστα στασιάζοιεν)* (2); hinc quoque Pythagorae sententiam, *τὰ τῶν φίλων κοινά* (3), maxime probans, civitatem esse censuit, *κοινωνίαν τὴν τοῦ κυριωτάτου ἀγαθοῦ πάντων, τὴν πασῶν κυριωτάτην καὶ πάσας περιέχουσαν τὰς ἄλλας* (4).

„Sic mihi perspicere videor," ait Laelius, „ita natos esse nos, ut inter omnes esset societas quaedam; major autem, ut quisque proxime accederet. Itaque cives potiores quam peregrini; propinqui quam alieni: cum his enim amicitiam na-

(1) Pol. VI, 3 in f. (2) Pol. II, 4, p. 1262, b. 7 sq., Nic. VIII, 1: *Ἔοικε δὲ καὶ τὰς πόλεις συνέχειν ἡ φιλία:* Cff. ib. c. 11, IX, 5, Eud. VII, 1 et Cic. Lael. c. 23. (3) Nic. VIII, 11. Cf. Cic. de Off. I, 16, de Legg. I, 12, de Fin. V, 23. (4) Pol. I, 1, II, 1, VII, 8, p. 1328, a. 35 sqq. *Ἡ δὲ πόλις κοινωνία τίς ἐστι τῶν ὁμοίων, ἕνεκεν δὲ ζωῆς τῆς ἐνδεχομένης ἀρίστης.*

tura ipsa reperit; sed ea non satis habet firmitatis. Namque hoc praestat amicitia propinquitati, quod ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest: sublata enim benevolentia amicitiae nomen tollitur, propinquitatis manet. Quanta autem vis amicitiae sit, ex hoc intelligi maxime potest, quod ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita contracta res est et adducta in angustum, ut omnis caritas aut inter duo aut inter paucos jungeretur (1). Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate summa consensio (2): qua quidem haud scio an, excepta sapientia, quidquam melius homini sit a diis immortalibus datum. — Qui autem in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem: sed haec ipsa virtus amicitiam et gignit et continet; nec sine virtute (3) amicitia esse ullo pacto potest" (4).

---

(1) Lael. c, 5. Cff. Nic. VIII, 7, p 1158, a. 10 sqq.: Πολλοῖς δ'εἶναι φίλον κατὰ τὴν τελείαν φιλίαν οὐκ ἐνδέχεται, ὥσπερ οὐδ' ἐρᾷν πολλῶν ἅμα et IX, 10 in f.: Οὐ γίγνονται γὰρ φίλοι πολλοὶ κατὰ τὴν ἑταιρικὴν φιλίαν, αἱ δ'ὑμνούμεναι ἐν δυσὶ λέγονται. (2) Cff. Lael. c. 7, de Off. III, 6; ita quoque Aristotcles, Nic. VIII, 2, p. 1155, b. 33, amicitiam esse censet, εὔνοιαν ἐν ἀντιπεπονθόσιν, Cff. IX, 6, M. M. II, 12, Eud. VII, 7. (3) Nic. VIII, 1 init.: Ἔϛιν ἀρετή τις ἢ μετ' ἀρετῆς, ἔτι δ'ἀναγκαιότατον εἰς τὸν βίον· ἄνευ γὰρ φίλων οὐδεὶς ἕλοιτ' ἂν ζῆν, ἔχων τὰ λοιπὰ ἀγαθὰ πάντα. Cff. c. 3 et 4, et IX, 5, M. M. II, 11, 12, Eud. VII, 2, 7. (4) Lael. c. 5 et 6.

Vinculum illud amicitiam inter et societatem civilem, tam apud Aristotelem quam apud Ciceronem, quorum alter alteri procul dubio plurimam partem facem praetulit (1), intelligitur inde maxime quod ut hanc, ita illam quoque a natura ortam esse, usu et consuetudine maxime confirmari, intelligerent (2). Hinc vis illa moralis in societate, cum amicitiam non utilitatem (3), non spem mercedis, sed virtutem maxime spectare censerent: „Ut enim quisque sibi plurimum confidit et ut quisque maxime virtute et sapientia sic munitus est, ut nullo egeat suaque omnia in se ipso posita judicet; ita in amicitiis expetendis colendisque maxime excellit" (4).

Improbat uterque eorum sententiam, qui putent, amicitiam ita ineundam esse ut odium ex ea aliquando oriri possit: „Negabat Scipio ul-

---

(1) Kuehner, O. l. p. 118. (2) Lael. c. 9: „Naturâ gigni sensum diligendi et benevolentiae caritatem, facta significatione probitatis", c. 14: „Nihil est enim appetentius similium sui, nihil rapacius, quam natura". Cff. c. 8, c. 17—19, § 65, c. 21 in f. et c. 23, Arist. Nic. VIII, 2, 4, 5, IX, 11 et Cic. de Inv. II, 55. (3) Lael. c. 14: „Non utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam consecuta est". Cff. c. 21 et Tusc. V, 25. (4) Lael. c. 9. Cff. c. 11, 13, 27: „Virtus, virtus, inquam, et conciliat amicitias et conservat", Arist. Nic. VIII, 4 init.: Τελεία δ'ἐστὶν ἡ τῶν ἀγαθῶν φιλία καὶ κατ' ἀρετὴν ὁμοίων, et IX, 9, quo loco ostendit, bonum virum ad felicitatem amicis imprimis indigere.

lam vocem inimiciorem amicitiae potuisse reperiri quam ejus, qui dixisset, ita amare oportere, ut si aliquando esset osurus" (1). Uterque enim veram amicitiam inter bonos unice obtinere et per se expetendam esse judicans, eam ex duobus quasi unum (2) efficere censebat: „In quibus," ut ait Cicero (3), „eadem studia sunt, eaedem voluntates; in iis fit, ut aeque quisque altero delectetur ac se ipso: efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus". Οἱ δὲ μοχθηροί, ita rursus Aristoteles (4), τὸ μὲν βέβαιον οὐκ ἔχουσιν· οὐδὲ γὰρ αὑτοῖς διαμένουσιν ὅμοιοι ὄντες· ἐπ' ὀλίγον δὲ χρόνον γίγνονται φίλοι, χαίροντες τῇ ἀλλήλων μοχθηρίᾳ. οἱ χρήσιμοι δὲ καὶ ἡδεῖς ἐπὶ πλεῖον διαμένουσιν. His autem verbis Cicero Aristotelis mentem expressisse videtur (5):

---

(1) Lael. c. 16. Cff. c. 22 et Arist. Rhet. II, 21, p. 1395, a. 25: Οὐ δεῖ, ὥσπερ φασί, φιλεῖν ὡς μισήσοντας ἀλλὰ μᾶλλον μισεῖν ὡς φιλήσοντας. Hanc sententiam alii, ut Cic. n. l., Arist. Rhet. II, 13, Diog. Laërt. I, sect. 87, Val. Max. VII, 3, ext. 3, Bianti; alii, ut Gellius, N. A. I, 3, Chiloni tribuunt. (2) Lael. c. 21: „Tanquam alter idem." Cff. de Fin. I, 20, Arist. Nic. IX, 4: Ἔστι γὰρ ὁ φίλος ἄλλος αὐτός, c. 8, p. 1168, b. 7: Τὸ μία ψυχή et c. 9, p. 1170, b. 5: Ὡς δὲ πρὸς ἑαυτὸν ἔχει ὁ σπουδαῖος, καὶ πρὸς τὸν φίλον· ἕτερος γὰρ αὐτὸς ὁ φίλος ἐστίν. Cf. Diog. Laërt. VII, sect. 63. (3) de Off. I, 17. Cf. Lael. c. 25. (4) Nic. VIII, 10. Cf. Lael. c. 22. (5) Lael. c. 27. Cf. Arist. Rhet. II, 4 init. Ἔστω δὴ τὸ φι-

„Amare nihil aliud est, nisi eum ipsum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate quaesita: quae tamen ipsa efflorescit ex amicitia, etiam si tu eam minus secutus sis".

Uterque veritate niti amicitiam, ei vero simulationem et adulationem maxime adversari censet: „Nam quum amicitiae vis sit eo", ut ait Cicero (1), „ut unus quasi animus fiat ex pluribus: qui id fieri poterit, si ne in uno quidem quoque unus animus erit idemque semper, sed varius, commutabilis, multiplex? Quid enim potest esse tam flexibile, tam devium, quam animus ejus, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur"? — In amicitia autem, cum perfecta, tum vulgari, ipsius per singulas vitae aetates casus et criminationes attendentes (2), tam morum quam aetatis convenientiam requirebant (3): Μέγα δὲ πρὸς φιλίαν καὶ τὸ σύντροφον καὶ τὸ καθ' ἡλικίαν (4), ut est in proverbio: Ἧλιξ ἥλικα τέρπει, καὶ οἱ συνήθεις ἑταῖροι (5).

Eo redit tota Aristotelis disputatio de amicitia, gravissimus sane in ejus doctrina morali lo-

---

λεῖν τὸ βούλεσθαί τινι ἃ οἴεται ἀγαθά, ἐκείνου ἕνεκα ἀλλὰ μὴ αὐτοῦ, καὶ τὸ κατὰ δύναμιν πρακτικὸν εἶναι τούτων. (1) Lael. c. 25. Cff. Arist. Nic. VIII, 9, Rhet. II, 11. (2) Lael. c. 10, 26. Cff. Arist. Nic. VIII, 9, 15, 16, IX, 3, Eud. VII, 2. (3) Lael. c. 20, 27. (4) Nic. VIII, 14. (5) Ib. et Rhet. I, 11, p. 1371, b. 15 sqq.

cus, ut eam aeque ac societatem civilem τὸ ἴσον et τὸ δίκαιον spectare, et quot genera justitiae et societatum, tot etiam amicitiarum esse censeret (1); hinc quoque per varias rerum publicarum formas amicitiae vim diligenter persequitur (2).

Ut Aristoteles, ita quoque Cicero, in Rhetoricis scriptis justitiae definitiones pro parte exposuit. A Platone justitia tanquam vinculum et concordia vel harmonia omnium virtutum proponebatur, Aristoteles vero primus inter justitiam ἐπανορθωτικὴν seu διορθωτικὴν et διανεμητικὴν vel κατ' ἀξίαν distinxit, quarum hanc, *distributivam*, justitiam partis (3); illam, quam recentiores *commutativam*, vel potius *emendatricem* sive *correctricem* vocant, justitiam sive virtutem universam esse voluit (4).

---

(1) Eud. VII, 1 init., M. M. II, 11, 12, Nic. VIII, 11 et 14. (2) Nic. VIII, 12, 13, Eud. VII, 9, 10. Jure Stahrius, Arist. I, prooëm. p. XI, XII et p. 121, libb. VIII et IX Nic. patrocinium suscepit. Cff. Buhle, O. l. III, p. 79 sqq. et p. 94 et Titze, O. l. p. 24, 39 sqq. De Ciceronis Laelio vide Kuehnerum, O. l. p. 58, 59, ibique laudatum Heumannum, in Act. Phil. II, p. 446 sqq. (3) Nic. V, c. 1, 3, 4, 7—9, Rhet. I, 9 init., Eud. IV, c. 1 et 2. (4) Nic. V, c. 5—8, Eud. IV, 2, M. M. I, 34. Egregia universalis justitiae definitio exstat apud Ciceronem de Fin. V, 2, 3, § 65, ad quem locum vide Madv. p. 732. Cff. de N. D. I, 2, de Off. III, 6, Raumer l.l. Tennemann, O. l. III, p. 296 sqq., Hugo, Naturrecht,

Cicero autem justitiam particularem, ex Aristotelis doctrina, quam universe in justitia definienda potissimum secutus esse videtur, desumtam, in libris de Officiis ut honesti speciem proposuit, et, cum haec vis ejus dicenda sit, ut suum cuique tribuat neminemque laedat, eam in externis hominum necessitudinibus positam, et cum liberalitate, quae ipsa, ex ejus sententia, in suum cuique tribuendo versatur, arctissime conjunctam (1); ipsius vero justitiae fundamentum fidem esse censuit (2).

Dolendum maxime est, interiisse Aristotelis quattuor sane grandes libros, quos, Cicerone teste (3), de ipsa justitia implevit; interiisse quoque Laelii egregiam, ut videtur, pro justitia disputationem: „Illorum fuit heroum" (Platonis scilicet et Aristotelis), ait Cicero (4), „eam virtutem, quae est una, si modo est, maxime munifica et liberalis, et quae omnes magis, quam sepse diligit, aliis nata potius, quam sibi, excitare jacentem, et in illo divino solio non longe a sapientia collocare. Nec vero illis aut voluntas defuit: (quae enim iis scribendi alia causa, aut quod omnino consilium fuit?) aut ingenium, quo omnibus praestiterunt. Sed eorum et voluntatem et copiam

---

§ 8 et 14, Birnbaum, Comm. de Hug. Grot. in def. jure nat. verâ mente, p. 18 sqq., Droste-Hülshoff, Comm. de Arist. just. univ. et part. Bonnae 1836.
(1) de Off. I, 5, 10, 14, 17, de Legg. I, 15. (2) de Off. I, 7. (3) de Rep. III, 8. Cf. Diog. Laërt. V, sect. 22. (4) Ibid.

causa vicit". Ex quo loco conjectura adsequi possumus, Laelium in sua justitiae defensione Platonis et Aristotelis sententiam maxime probasse (1).

Aristoteles, quum omne jus ad civitatem referret, ipsum adeo judicium τῆς πολιτικῆς κοινωνίας τάξιν esse censeret (2), distinxit inter τὸ δίκαιον φυσικὸν et νομικόν (3), alterum omnibus populis commune, singulis proprium alterum; τὸ πολιτικὸν vero utrumque complecti statuit (4), legem autem vel ἴδιαν vel κοινήν, illam, singulis inter ipsos definitam, vel scriptam vel non scriptam, hanc secundum naturam esse voluit (5); hinc orta distinctio inter jus natura constitutum seu gentium et civile (6) apud Ciceronem, qui legem ipsam insitam in natura, tam divina quam humana, definivit: „prudentiam, cujus ea vis sit, ut recte facere jubeat, vetet delinquere" (7); ad quam legis vim exprimendam diversis notionibus usus est (8).

Aristoteles τὸ ἁπλῶς δίκαιον, rectum seu honestum, a τῷ πολιτικῷ δικαίῳ, juris notione, secernens, τὸ ἐπιεικὲς, aequum (9), non prorsus

---

(1) Cf. Lactantius, Inst. c. 14, 17 et Epitom. c. 55. (2) Pol. I, 21 in f. (3) Nic. V, 10. (4) Ibid. Cff. c. 5, M. M. I, 34, p. 1194, b. 21 sqq., Eud. IV, 5. (5) Rhet. I, 13 init. (6) de Inv. II, 53, Orat. Part. c. 37, Tusc. I, 13. (7) de Legg. I, 6. (8) Ib. c. 16, II, 4, de Rep. III, 22, de Inv. l. l., de Off. III, 5, 6, Philipp. XI, 12. (9) Nic.

idem, ejusdem tamen naturae ac τὸ δίκαιον, esse, cum vero utraque bona (σπουδαῖα) sint, illud praestare censuit; non est enim jus lege constitutum, sed ἐπανόρθωμα νομίμου δικαίου. αἴτιον δ' ὅτι ὁ μὲν νόμος καθόλου πᾶς, περὶ ἐνίων δ' οὐχ οἷόν τε ὀρθῶς εἰπεῖν καθόλου; cujus imperfectae rationis causa nec in ipsa lege, nec in legislatoris imperitia, sed in ipsa rerum natura latet (1); hinc illud, quod in proverbium quasi abiit, *summum jus, summa injuria* (2). Ita quoque Cicero communis utilitatis gratia nonnumquam a stricto jure et a malitiosa ejus interpretatione recedendum esse et sine aequitate nullam perfectam justitiam cogitari posse existimabat: „Nam ut illi (Graeci) aequitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus; et proprium tamen utrumque legis est" (3).

In doctrina politica Aristoteli Cicero debuit distinctionem in tres rei publicae formas; consilium enim, quo regenda est res publica, ut diuturna sit (4), aut uni tribuendum est, aut delectis

---

V, 14, M. M. II, 1, Eud. IV, 8, Rhet. II, 13, p. 1374, a. 26 sqq. Cf. Buhle, O. l. III, p. 76—79. (1) Nic. l.l. (2) de Off. I, 10. (3) de Legg. I, 6. Cff. c. 15, de Off. I, 9, 10, 11, 34, de Inv. I, 11, II, 53, de Orat. I, 42, Top. c. 2 et 5, de Fin. V, 23, pro Caec. c. 23 et 27. (4) Arist. Pol. III, 6 init.: Ἔστι δὲ πολιτεία πόλεως τάξις τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων. Cff. Ritter, O. l. III, p. 363, Tenn., O. l. III, p. 315.

quibusdam, aut suscipiendum est multitudini atque omnibus (1); quarum illa βασιλείας (regni), ista ἀριστοκρατίας (optimatium potestatis), haec πολιτείας (popularis imperii) nomine usuvenit (2). „Hae autem constitutiones, neglectis jure et legibus, facile in contraria vitia convertuntur, ut exsistat ex rege dominus, ex optimatibus factio, ex populo turba et confusio; quodque ipsa genera generibus saepe commutentur" (3). Hae sunt, ut ait Aristoteles, tres earum, quas constitui, formarum παρεκβάσεις, τυραννὶς μὲν βασιλείας· ὀλιγαρχία δὲ ἀριστοκρατίας· δημοκρατία δὲ πολιτείας (4). Hinc jam Aristoteles, quum in unoquoque genere vitia quaedam latere animadverteret (5), singula primum summo acumine inter se comparavit, deinde rursus singula haec genera in suas species distribuit; ita

(1) de Rep. I, 26, de Legg. III, 7, Arist. Pol. I, 1, 2, III, 9, IV, 4. (2) Pol. III, 7. (3) de Rep. I, 44, 45. Cf. pro Sextio, c. 45. (4) Pol. III, 7, Rhet. I, 8, Nic. VIII, 12, Eud. VII, 9. Cf. Cic. de Rep. I, 42 sqq. et II, 32, imprimis I, 44: „Sic tanquam pilam rapiunt inter se rei publicae statum, tyranni ab regibus; ab iis aut principes aut populi; a quibus aut factiones aut tyranni: nec diutius umquam tenetur idem rei publicae modus". Vide etiam Wicherum van Swinderen, de Arist. Pol. libb., C. V, p. 109 sqq. (5) Pol. IV, 8, p. 1294, a. 9 sqq.: Δοκεῖ δὲ ἀριστοκρατία μὲν εἶναι μάλιστα τὸ τὰς τιμὰς νενεμῆσθαι κατ' ἀρετήν· ἀριστοκρατίας μὲν γὰρ ὅρος ἀρετή, ὀλιγαρχίας δὲ πλοῦτος, δήμου δ' ἐλευθερία. Cff. Pol. III, 10 sqq., Ritter, O. l. III, p. 367,

quinque regni (1), quatuor tam ὀλιγαρχίας quam δημοκρατίας species (2) esse voluit. Egregie in utramque partem disputando, quae pro, quae contra regium imperium vulgo circumferuntur, exposuit, et e tali disquisitione haec concludenda esse duxit: „Si gens quaedam, vel etiam unus aliquis, ceteris virtute praestet, justum esse hanc gentem sive hunc virum regio imperio potiri et in ceteros dominari (3); virtute autem universa unum tantum vel paucos excellere (4); in democratiis vero solam fortitudinem conspici solere (5); hinc quoque ἀριςτοκρατίαν πολιτείᾳ esse praeferendam (6); πολιτείαν autem, e duabus formis, oligarchia et democratia, mixtam (7), inter bonas et integras formas pessimam, inter parvas et corruptas optimam esse censet" (8).

Simili quoque modo Cicero singulas constitutiones inter se comparans: „Caritate", inquit (9), „nos capiunt reges, consilio optimates, libertate populi"; et ex his tribus regiminis formis regium imperium maxime comprobavit: „Non heros nec

---

Kuehner, O. l. p. 263. (1) Pol. III, 14. (2) Ib. IV, 6. (3) Pol. III, 16, 17. Cff. Stahr, I, p. 188, Ritter, O. l. III, p. 368 sqq. (4) Pol. III, 12, 15, 17, 18, IV, 8. Cf. Ritter, O. l. III, p. 365, 368. (5) Pol. IV, 2, III, 7. (6) Ib. III, 4. (7) IV, 8. (8) III, 7, IV, 2, Nic. VIII, 12. (9) de Rep. I, 35, ita quoque Aristoteles, Pol. III, 14, reges olim populo caros et propter liberalitatem electos fuisse monet.

dominos appellabant eos, quibus juste paruerunt: denique ne reges quidem; sed patriae custodes, sed patres et deos. Nec sine causa. — Vitam, honorem, decus sibi datum esse justitia regis existimabant" (1). — „Quod ita quum sit, ex tribus primis generibus longe praestat, mea sententia, regium" (2), et alio loco (3): „Ipsum regale genus civitatis non modo non est reprehendendum, sed haud scio an reliquis simplicibus longe anteponendum; — sed ita, quoad statum suum retinet. Is est autem status, ut unius perpetua potestate et justitia omnique sapientia regatur salus et aequabilitas et otium civium". Uterque igitur regna non hereditaria, sed virtutis praestantiam optimam successionis normam esse voluit (4).

Auctor Polybio (5), quem postea Cicero (6) secutus est, Aristoteles dicendus videtur, ut optimam regiminis formam e tribus mixtam esse statueret. Acerrimo enim quo ducebatur investigandi studio, varias sui temporis, tam Graeciae, quam Barbariae, constitutiones collegit et inter se comparare instituit; de quo proposito egregium edidit testimonium in fine Nicomacheorum (7):

---

(1) de Rep. I, 41. (2) Ib. c. 45. (3) II, 23. (4) Arist. Pol. II, 6. (5) Ἱστορ. VI, 3 sqq. (6) de Rep. I, 26, 29, 45, II, 23, 39. Cff. Cic. pro Sext. c. 45, Livius, VIII, 3. Tacitus, Ann. IV, 33. Tenn. O. l. IV, p. 145, Heeren, alte Gesch. p. 400 et alibi. Ed. IV. (7) Libro X in f., Cf. disp. n. p. 123 et 124.

Παραλιπόντων οὖν τῶν προτέρων ἀνερεύνητον τὸ περὶ τῆς νομοθεσίας, αὐτοὺς ἐπισκέψαθαι μᾶλλον βέλτιον ἴσως, καὶ ὅλως δὴ περὶ πολιτείας, ὅπως εἰς δύναμιν ἡ πέρὶ τὰ ἀνθρώπινα φιλοσοφία τελειωθῇ. πρῶτον μὲν οὖν εἴ τι κατὰ μέρος εἴρηται καλῶς ὑπὸ τῶν προγενεςέρων πειραθῶμεν ἐπελθεῖν, εἶτα ἐκ τῶν συνηγμένων πολιτειῶν θεωρῆσαι τὰ ποῖα σώζει καὶ φθείρει τὰς πόλεις καὶ τὰ ποῖα ἑκάςας τῶν πολιτειῶν, καὶ διὰ τίνας αἰτίας αἱ μὲν καλῶς αἱ δὲ τοὐναντίον πολιτεύονται· θεωρηθέντων γὰρ τούτων τάχ᾽ ἂν μᾶλλον συνίδοιμεν καὶ ποία πολιτεία ἀρίςη, καὶ πῶς ἑκάςη ταχθεῖσα, καὶ τίσι νόμοις καὶ ἔθεσι χρωμένη. Multo magis sententia, quam proposui, duobus, ex ejus libris Politicis, locis confirmari videtur: „Quidam optimam rei publicae administrandae formam censent omnibus permixtam esse oportere; Lacedaemoniorum igitur constitutionem laudant, tanquam ex oligarchia, monarchia et democratia compositam; regium enim imperium monarchiam, senatorum (τῶν γερόντων) auctoritatem oligarchiam vocant; penes populum vero per Ephoros potestatem esse dicunt" (1), et altero loco (2): „Cum in omnibus civitatibus tria sint civium genera, alii divitiis nimis redundantes, nimis paupertate oppressi alii, tertium genus eorum, qui modicis opibus gaudeant, eas civitates, in quibus medium hoc genus plurimum valeat, optimas et a rerum novarum studio maxime

(1) II, 6. Cff. IV, c. 3 in f. et c. 8 et Buhle, O. l. III, p. 179. (2) IV, 11. Cf. Buhle, ib. p. 202 sqq.

immunes esse censet". — Praeterea Aristoteles eos philosophos, qui unice optimam rem publicam, quae mente quidem fingi poterat, in rerum natura vero frustra quaerebatur, verbis depingere sibi proposuerant, maxime exagitans, viro politico et legumlatori *τὴν ἐκ τῶν ὑποκειμένων ἀρίστην* et *τὴν ἐξ ὑποθέσεως ἀρίστην* respiciendas esse; hac vero trium rei publicae quasi graduum comparatione legumlatorem optime alicujus civitatis vitiis mederi posse duxit (1). Aristoteles, causam imperii maxime quaerens (2), distinxit adeo jam aliquo modo tres potestates, legiferam, exsequentem, judiciariam: *Ἓν μέν τι τὸ βουλευόμενον περὶ τῶν κοινῶν* (3), *δεύτερον δὲ τὸ περὶ τὰς ἀρχάς* (*τοῦτο δ' ἐστὶν ἃς δεῖ καὶ τίνων εἶναι κυρίας, καὶ ποίαν τινὰ δεῖ γίγνεσθαι τὴν αἵρεσιν αὐτῶν*), *τρίτον δέ τι τὸ δικάζον* (4).

Cicero, qui ipse quoque optimis gentis suae institutis eligendis et cum Spartanorum et Carthaginiensium rerum publicarum descriptione comparandis (5), septem saeculorum fatis dijudicandis, rem publicam suam condidit, non minus quam Aristoteles, in Laconicam rem publicam, duas ob causas maxime, invehitur; primum quia rex

---

(1) Pol. IV init. Cf. Ritter, O. l. III, p. 358. (2) Rhet. I, 4, p. 1360, a. 19 sqq. Coll. Cic. de Orat. I, 34 in f. (3) Rhet. I, 8 init. Vid. Cic. de Orat. II, c. 82, § 337. (4) Pol. IV, 14—16. Cff. Raumer, O. l. p. 18, Ritter, O. l. III, p. 364, Tenn., O. l. III, p. 315. (5) de Rep. II, 23. Cf. Arist. Pol. II, 11.

habebatur is, quicunque regio genere esset natus, deinde propter magistratuum electionem, quae sorte fiebat. „Quod si liber populus", ait, „deliget, quibus se committat; deligetque, si modo salvus esse vult, optimum quemque (1); certe in optimorum consiliis posita est civitatium salus: praesertim quum hoc natura tulerit, non solum ut summi virtute et animo praeessent imbecillioribus, sed ut hi etiam parere summis velint" (2). Ita quoque Aristoteles Ephororum, qui fortuito oblati, de singulis rebus ex mero arbitrio judicare solebant (3), constitutionem exagitat; Solonem vero, qui jus magistratus eligendi populo concesserat, summis laudibus effert: Σόλων γε ἔοικε τὴν ἀναγκαιοτάτην ἀποδιδόναι τῷ δήμῳ δύναμιν, τὸ τὰς ἀρχὰς αἱρεῖσθαι καὶ εὐθύνειν (4). Probat igitur uterque maxime aequabilem magistratuum electionem.

Ut Aristoteles in omni civitate non magis τὸ ποιὸν quam τὸ ποσὸν attendit, quorum illud libertatem, divitias, institutionem, generis praestantiam, hoc multitudinis exsuperantiam maxime spectat; cum vero pauperes et divites, nimis sibi diffidentes, non facile eo adigi possint ut vi-

---

(1) De optimo quoque eligendo Aristoteles egit, Pol. III, 17, ut jam monuit Angelus Majus ad Cic. l. l. (2) de Rep. I, 34; quo loco Angelus Majus suspicatur, Ciceronem in lacuna de fortuita Cosmorum et Ephororum electione egisse. (3) Pol. II, 9. (4) Ib. c. 12. Cff. IV, 15 sqq. et Rhet. ad Alex. c. 3, Buhle, O. l. III, p. 181 sqq.

cissim imperent atque serviant, quo melius hae partes mixtae atque temperatae fuerint, eo stabiliorem rei publicae administrationem futuram esse censet (1); ita quoque Cicero populi Romani partitionem in quinque classes vel centum nonaginta tres centurias, ex quibus una proletariorum centuria totam populi faecem continebat, maxime probat: „Ita" enim, inquit, „nec prohibebatur quisquam jure suffragii: et is valebat in suffragio plurimum, cujus plurimum intererat esse in optimo statu civitatem" (2). Neuter vero probat perpetuam magistratuum potestatem, populi libertati maxime contrariam: Ἐλευθερίας δὲ, inquit Aristoteles (3), ἓν μὲν τὸ ἐν μέρει ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν, et Cicero (4): „In qua re publica est unus aliquis perpetua potestate, praesertim regia, quamvis in ea sit et senatus; — et ut sit aliquod etiam populi jus; — tamen illud excellit regium nomen; neque potest ejusmodi res publica non regnum et esse et vocari. Ea autem forma civitatis mutabilis maxime est hanc ob causam, quod unius vitio praecipitata in perniciosissimam partem facillime decidit".

De situ urbis jam disputaverat Aristoteles, eamque quantum loci natura patiatur et maris et

---

(1) Pol. IV, 12. Cf. VII, 2. Hinc quoque, Pol. III, 1, p. 1275, a. 23, civis notionem τῷ μετέχειν κρίσεως καὶ ἀρχῆς optime exprimi judicavit. (2) de Rep. II, 22. (3) Pol. VI, 2. Cf. IV, 15. (4) de Rep. II, 23.

terrae commodis frui debere censet, ut sit τοῖς πολεμίοις δυσέμβολος, αὐτοῖς δ' εὐέξοδος, εὐσύνοπτος, εὐβοήθητος (1). Cavendum tamen maxime monet, ne mercaturae et navigandi studio avaritia in dies magis alatur; oportere igitur portus et navalia apte esse disposita, ut, nec urbem occupent, nec nimis ab ea distent, sed communibus muris ac munimentis contineantur (2). Haec igitur commoda cum urbis Romae situs complecteretur, eum quoque Cicero justo pretio aestimavit, magnificisque adeo laudibus extulit: „Quî potuit divinius et utilitates complecti maritimas Romulus et vitia vitare? quam quod urbem peremnis amnis et aequabilis et in mare late influentis posuit in ripa, quo posset urbs et accipere ex mari, quo egeret, et reddere, quo redundaret: eodemque ut flumine res ad victum cultumque maxime necessarias non solum mari absorberet, sed etiam invectas acciperet ex terra" (3).

Ex his locis, etsi non omnes eadem trutina ponderandos esse confitear, hoc saltem apparet, Ciceronem ex Politicis libris Aristotelis haud parum profecisse eosque adeo diligenter ab eo lectos fuisse. Juvat etiam hoc loco quaedam e Ciceronis Epistolis apponere, e quibus appareat, ne Aristotelis quidem συμβουλευτικὸν πρὸς Ἀλέξανδρον a Cicerone neglectum fuisse.

(1) Pol. VII, 5. (2) Ib. c. 6. Cf. c. 11. (3) de Rep. II, 5. Cf. c. 18. Vide etiam Wicherum van Swinderen, diss. laud. p. 158.

Quum Caesar, Pompejo devicto, dictator esset renuntiatus, Cicero hujus partes antea semper secutus, urgente necessitate, cum illo in gratiam redierat, et, ne praepotentem Caesarem silentio suo laedere videretur, Attici monitis Epistolam seu Commentarium, in quo de civitatis romanae constitutione emendanda consilia ei daret novumque munus gratularetur, componere mente conceperat: „Συμβουλευτικὸν saepe conor: nihil reperio: et quidem mecum habeo et Ἀριστοτέλους (1) et Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον: sed quid simile? Illi, et quae ipsis honesta essent, scribebant, et grata Alexandro. Ecquid tu ejusmodi reperis? Mihi quidem nihil in mentem venit" (2); et alio loco (3): „De Epistola ad Caesarem, jurato mihi crede, non possum; nec me turpitudo deterret, etsi maxime debebat. — Sed in mentem nihil venit. Nam, quae sunt ad Alexandrum hominum eloquentium et doctorum suasiones, vides quibus in rebus versentur. Adolescentem, incensum cupiditate verissimae gloriae, cupientem sibi aliquid consilii dari, quod ad laudem serpiternam valeret, cohortantur ad decus. Non deest oratio. Ego quid possum? — Quid? tu non vides ipsum illum Aristotelis discipulum, summo ingenio,

---

(1) Aristotelis opera politica ad Alexandrum fuere περὶ βασιλείας, teste Ammonio in vita, et περὶ συμβουλίας. Cf. Diog. Laërt. V, sect. 24. (2) ad Att. XII, Ep. 40. (3) Ib. XIII, Ep. 28.

summa modestia, postea quam rex appellatus sit, superbum, crudelem, immoderatum fuisse? Quid? tu hunc de pompa, Quirini contubernalem, his nostris moderatis epistolis laetaturum putas? Ille vero potius non scripta desideret, quam scripta non probet". Hujus concepti operis etsi Ciceronem adeo taederet, pluribus tamen locis se illud perfecisse et ad Caesarem misisse testatur: „Heri etiam effeci Epistolam ad Caesarem, tibi enim placebat: quam non fuit malum scribi, si forte opus esse putares. Ut quidem nunc est, nihil sane est necesse mittere. Sed id quidem, ut tibi videbitur" (1). „Epistolam Caesaris misi, si minus legisses" (2). „De Epistola ad Caesarem, κέκρικα. Atque id ipsum, quod isti ajunt illum scribere, se, nisi constitutis rebus, non iturum in Parthos; id ego suadebam in illa Epistola" (3).

(1) Ib. Ep. 26. (2) Ib. Ep. 22. Cf. Ep. 25. (3) Ep. 31. Cff. Epp. 30 et 31.

CAPUT VI.

CICERONIS IN PHILOSOPHIAM MERITA.

Cicero etsi tanquam orator, ut jam vidimus, summas laudes consecutus sit, minime tamen philosophiam neglexit, immovero cum eloquentia (1) conjungendam, alteramque sine altera rite excoli non posse duxit: „Nos autem", inquit (2), „nec subito coepimus philosophari, nec mediocrem a primo tempore aetatis in eo studio operam curamque consumpsimus, et, cum minime videbamur, tum maxime philosophabamur; quod et orationes

(1) Tusc. I, 4. (2) de N. D. I, 3, 4. Cff. Acad. I, 3, de Div. II, 1, 2, de Fato c. 2, de Off. I, 1, 2, Plut. vita Cic. c. 32 et Buhle, O. l. IV, p. 31 et 32.

declarant, refertae philosophorum sententiis, et doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit, et principes illi, Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus". Etsi igitur Cicero per omne vitae tempus philosophiam minime neglexerit, extrema tamen aetate, non minus domesticis quam rei publicae calamitatibus oppressus, nec amplius forensibus negotiis occupatus, totum se ad philosophiam retulit et ad scribendi operam omne studium curamque convertit (1).

Non sectam aut systema aliquod condere Ciceroni obversabatur, sed judicando, comparando, contrarias sententias ponderando, omnia illustrare, quasi flores e singulis disciplinis carpere (2), populares suos ad philosophiae studia colenda excitare (3), Graecis adeo philosophando etiam palmam praeripere (4) studuit. Magni fecit disquisitiones, tam de jure, quam de officiis; maxime vero ei placuit illa philosophandi ratio, quae ab usu vitae proxime abesset; quam ut inveniret, Platonis, Aristotelis aliorumque placita, modo congruentia, modo dissidentia, inter se contendens (5),

---

(1) de Off. II, 1, III, 1. Cff. Plut. in vita c. 3 et J. A. C. van Heusde, O. l. p. 164. (2) de N. D. I, 5. Acad. II, 3. Tusc. II, 2. (3) de Fin. I, 1. Acad. I, 2, 3, de Div. I, 1. Cff. Schlosser, O. l. III, I, p. 200, Stahr, II, p. 142. (4) de Off. I, 1, III, 33. (5) Acad. II, 43—45, de Fin. II, 21, Tusc. V, 11, de Off. I, 2, II, 7.

mediocritatem illam, quae est inter nimium et parum, maxime probavit (1), magisque dijudicandis et adhibendis aliorum inventis quam indagando ac placitis condendis inclaruit (2). Quamvis igitur Ciceronis laudes in hac ejus studiorum parte oratoriis longe cederent, antiquorum tamen philosophorum placita non servili modo convertit, eorumque interpres, saepius suum etiam judicium, suam disserendi et intelligendi rationem iis adjunxit: „Si plane sic verterem Platonem, aut Aristotelem, ut verterunt nostri poëtae fabulas, male, credo, mererer de meis civibus, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem! sed id neque feci adhuc, nec mihi tamen, ne faciam, interdictum puto. Locos quidem quosdam si videbitur, transferam, et maxime ab iis, quos modo nominavi, quum inciderit, ut id apte fieri possit" (3).

Hoc autem loco, silentio praeterire non licet, quae nuper summus Madvigius contendit: Ciceronem Aristotelis Nicomachea *non legisse*. Etsi haud negem in hac potissimum hujus disquisitionis parte summis difficultatibus mihi fuisse conflictandum, quandoquidem plerumque verbis magis quam re dissideant Platonis, Aristotelis et Stoicorum placita; hi adeo, quorum scripta fere

(1) Acad. II, 44, 45, de Off. I, 25, (2) de Legg. I, 14, de Off. III, 4, 28. (3) de Fin. I, 3. Cff. Stahr, II, p. 143 nota 2, Kuehner, O. l. p. 89—92.

desideramus, sua ethices praecepta e Peripateticorum doctrina magna ex parte hauserint (1); credo tamen Kuehneri (2) sententiam statuentis, „Ciceronem ex ipsis fontibus hausisse, nec rivulos consectatum, iis acquievisse, quae de philosophorum doctrinis a magistris suis accepisset", universe veram esse, modo eam ad practicam philosophiae partem restringamus; sed ab altera parte Stahrio non assentior, qui saepe ex sola fortuita unius alteriusve similis loci commemoratione Ciceronem hoc illudve Aristotelis opus novisse ac legisse efficere studet; caute enim inter ea, quae ex ipso Aristotele hauserit quaeque ab aliis mutuatus sit, distinguendum esse censeo.

Cicero Aristotelisne, quod dicitur, ὄργανον vel scripta ejus dialectica (3), libros decem Politicos (4), imprimis tres de Rhetorica (5) legerit, noveritne ejus τεχνῶν συναγωγὴν (6), rhetoricam ad Theodectem (7), opus de variis rerum publica-

---

(1) de Fin. IV, c. 5, § 11— c. 7. Cff. Stahr, II, p. 88, 89, Brücker, O. l. I, p. 742. (2) Kuehner, O. l. p. 122. (3) Stahr, A. b. d. R. p. 47. (4) Ib. p. 51, Cf. II, p. 157. (5) Cff. Stahr, A. b. d. R. p. 48, 49 et J. A. C. van Heusde, in disq. de L. Ael. Stil. p. 103. (6) Cff. Fr. Ellendt ad libb. de Orat., Vol. II, p. 245, 246, ut etiam disp. n. p. 121 sq. (7) Orat. c. 51 et 64. Cff. Stahr, II, p. 154 et A. b. d. R. p. 49, Arist. Rhet. III, 9 in f., Rhet. ad Alex. c. 1 in f., Fabric. O. l. II, p. 201, Val. Max. VIII, 14, 3. Quinct. I. O.

rum formis (1), libros de justitia quattuor (2), συμβουλευτικὸν ad Alexandrum (3), et inter viros doctos non valde quaeritur, et ex locorum comparatione, quam in prioribus hujus disquisitionis partibus institui, satis apparet; de ceteris vero scriptis, imprimis de libris Nicomacheis, interpretes in contrarias abeunt sententias.

Madvigius Victorii opinioni (4), quae, utpote judicium nec negantis nec affirmantis, quaestionis statum minime mutat, ut etiam controverso illo loco Ciceronis de Finibus, quem, pannum assutum ex ejus sententia, ei magis obstare quam favere jam supra monui (5), maxime argumenta sua superstruxit.

Concedo, Ciceronem libro quinto de Finibus Antiochum esse secutum, quod jam antea Goerenzium (6) non fugerat, minore tamen jure

---

II, 15, § 10, in similem dubitationem incidit ac Cicero in dijudicandis Nicomacheis, Aristotelisne an Theodectis rhetoricum illud opus esse videatur. Hic rursus in diversissima quaeque abeunt sententiae; Cl. Bakius enim, Schol. Hypomn. II, p. 161, Theodectea Rhetorica et τὴν τεχνῶν συναγωγὴν idem opus fuisse censet; Titzio contra, O. l. p. 34, 35, Theodectea supposititio titulo τῆς ῥητορικῆς πρὸς Ἀλέξανδρον aetatem tulisse videntur. (1) disp. n. p. 123, 124. (2) p. 142. (3) p. 152 sq. (4) ad Arist. Nic. VII, 3: „Ciceronem in lectione librorum Aristotelis Ethicorum non valde versatum esse". (5) disp. n. p. 17 sqq. et 46 sq. (6) Introd. ad hos libros p. XXVII.

Madvigius negare videtur, hoc libro Aristotelis placita latere (1); utramque enim quaestionem, quam summus hic Vir minus distinxit, Aristotelemne in libro quinto de Finibus secutus sit Cicero, legeritne ejus Nicomachea, minime confundendam esse duco. Primum quidem haud negligenda peculiaris Ciceronis philosophandi ratio, quam ideo in principio hujus capitis maxime attendendam esse censui; quae scilicet ratio excitavit in eo acerrimum varias sectas conciliandi studium; quo factum ut Platonis, Aristotelis singula quidem placita attulerit, totam vero eorum doctrinam numquam proposuerit; ita ut, quod de Aristotele affirmavit Madvigius, nullum ejus dogma, quod ad ipsam philosophiam pertineret, paullo copiosius a Cicerone fuisse expositum (2), eodem jure de Platone contendere possemus. Cum igitur Antiochus Academica, Peripatetica, Stoica placita conjunxerit, Piso autem tam a Stasea Peripatetico, quam ab Antiocho (3) institutus, hoc libro tanquam persona inducatur (4), non mirum Ciceroni Antiochum philosophum, quem in hac disquisitione sequeretur, maxime idoneum visum esse; quod his Cottae in libro de Natura Deorum (5) verbis imprimis illustrari videtur:

(1) Haec quoque fuit Kuehneri sententia de hujus quinti libri disputatione, O. l. p. 107. (2) Exc. VII, p. 856. (3) de Fin. V, 3. (4) Ciceronem semper religiose personarum, quas induxit, indolem tenuisse, cum ex aliis dialogis, tum maxime ex libris de Oratore apparet. (5) I, 7.

„Si liber A n t i o c h i nostri — vera loquitur; nihil est, quod Pisonem — desideres". C i c e r o enim in libris de Finibus, de Natura Deorum, in Tusculanis Quaestionibus, C a r n e a d i s rationem secutus, quae sibi maxime placeant quidem declarat, nusquam vero aperte suam sententiam proponit; in iis vero quae jam senescens scripsit, et maxime quidem in libris quae supersunt de Legibus (1), singula placita componere et magis propriam sententiam afferre, instituit; ita ut quam, ubi *de* A r i s t o t e l i o *more* locuti sumus, observavimus continuam in ejus dialogorum forma progressionem, eandem etiam nunc in ejus philosophandi ratione deprehendamus; a qua ratione nec A r i s t o t e l e s alienus fuit, qui in pluribus scriptis primum aliorum placita proposuit, et ex his demum, quae sibi viderentur, concludenda esse duxit. In hunc modum scripti sunt libri de Senectute, de Amicitia, de Officiis. Suum vero contraria placita conciliandi propositum C i c e r o libro primo de Legibus maxime declarat. Post exquisitam enim de jure et honesto disputationem: Videtisne", inquit (2), „quanta series rerum sententiarumque sit: atque ut ex alio alia nectantur? Quin labebar longius,

(1) De tempore, quo hi libri fuerint scripti, viri docti maxime dissentiunt. Vid. M o s e r u s, in Introd. ad libros de Legibus, p. XXV sqq. (2) c. 19—21. Cff. c. 13, de Fin. III, 12, 13, IV, 9, 21, 26, 28, de N. D. I, 5.

nisi me retinuissem. Q. Quo tandem? libenter enim frater, ad istam orationem tecum prolaberer. M. Ad finem bonorum, quo referuntur et cujus causa sunt facienda omnia: controversam rem et plenam dissensionis inter doctissimos, sed aliquando tamen judicandam. Att. Quî istuc fieri potest, L. Gellio mortuo? M. Quid tandem id ad rem? Att. Quia me Athenis audire ex Phaedro meo memini, Gellium, familiarem tuum, quum pro consule ex praetura in Graeciam venisset, Athenis philosophos, qui tum erant, in locum unum convocasse, ipsisque magno opere auctorem fuisse, ut aliquando controversiarum aliquem facerent modum: quod si essent eo animo, ut nollent aetatem in litibus conterere; posse rem convenire: et simul operam suam illis esse pollicitum, si posset inter eos aliquid convenire. M. Ioculare istud quidem, Pomponi, et a multis saepe derisum. Sed ego plane vellem me arbitrum inter antiquam Academiam, et Zenonem datum. Att. Quo tandem istud modo? M. Quia de re una solum dissident, de ceteris mirifice congruunt. Att. Ain tandem? una de re est solum dissensio? M. Quae quidem ad rem pertineat, una: quippe cum antiqui omnes, quod secundum naturam esset, quo juvaremur in vita, bonum esse decreverint; hic, nisi quod honestum esset, nihil putarit bonum. Att. Perparvam vero controversiam dicis, ac non eam, quae dirimat omnia. M. Probe quidem sentis, si re, ac non verbis dissiderent. Att. Ergo assen-

tiris Antiocho familiari meo. — M. Vir iste fuit ille quidem prudens et acutus et in suo genere perfectus, mihique, ut scis, familiaris: cui tamen ego assentiar in omnibus, necne mox videro; hoc dico, controversiam totam istam posse sedari" (1). Intelligitur ex his quare Cicero Antiochum, Peripateticae sententiae proxime accedentem, antiquorum placita diligentissime persequentem (2), hoc quinto libro de Finibus, in gravissima illa de summo bono quaestione, maxime secutus sit; quare librorum Academicorum disputationem ex eodem Antiocho, libri tertii de Natura Deorum, secundi de Divinatione, libri etiam de Fato ex Carneade, librorum de Officiis ex Panaetio ejusque discipulo Posidonio hauserit (3).

Madvigius, Antiocheo illo, quem vocat, *more* ut munimento usus, ad hunc omnia referens quaecunque suam sententiam possint infirmare, negat Aristoteli summi boni finem fuisse: *honeste vivere, fruentem iis rebus, quas primas homini natura conciliet* (4); in libris enim

(1) De causa, quare Cicero harum controversiarum fontem, et quid philosophia maxime indigeret, invenire non potuerit rite judicavit Tennemann, O. l. V, p. 118. (2) de Fin. V, 5 in f. (3) Cff. Kuehner, O. l. p. 94—111, Meinerts, Verm. Schriften, I, p. 290, 291, Krische, O. l. p. 33 in nota, Cic. ad Att. XVI, Epp. 11 et 14. (4) Exc. IV. Cff. Ciceronis loca quae attulit p. 829 et 831.

Nicomacheis ab Aristotele τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν nusquam nominari; quod licet summo Viro libenter concedamus, non vocabulorum usui, sed potius cum Cicerone rebus inhaerentes, praesertim cum, nec Plato, nec Academici, de quibus tamen minime dubitat Madvigius, his vocibus usi sint, Aristotelem, ut nullus alius magis vitae usum respicientem, secundum naturam vel res a natura datas vivendum esse, statuisse credimus.

Aristoteles, animo tam τὰ πάθη quam τὰς δυνάμεις et τὰς ἕξεις contineri censens, τὰς δυνάμεις quam maxime natura inniti, et, quamvis homines natura nec bones nec malos, ipsamque adeo virtutem (τὴν ἕξιν προαιρετικὴν) non natura esse censeat, attamen virtutem colendi facultatem, quam ab ipsa virtute caute distinxit, natura esse voluit (1). „Singuli", inquit (2), „mores natura quodammodo

---

(1) Nic. II, 4, 5: Δυνάμεις καθ' ἃς παθητικοὶ τούτων (τῶν παθῶν) λεγόμεθα, — ἕξεις δὲ καθ' ἃς πρὸς τὰ πάθη ἔχομεν εὖ ἢ κακῶς. — Δυνατοὶ μὲν ἐσμεν φύσει, ἀγαθοὶ δὲ ἢ κακοὶ οὐ γινόμεθα φύσει. Cff. Eud. II, 2, 3, Buhle, O. l. III, p. 31, 32, Tenn. O l. III, p. 273, Ritter, O. l. III, p. 304.
(2) Nic. VI, 13. Cff. Ib. II, 1 init.: Οὔτ' ἄρα φύσει οὔτε παρὰ φύσιν ἐγγίνονται αἱ ἀρεταί, ἀλλὰ πεφυκόσι μὲν ἡμῖν δέξασθαι αὐτάς, τελειουμένοις δὲ διὰ τοῦ ἔθους. de Mem. c. 2, p. 452, a. 27: Ὥσπερ γὰρ φύσις ἤδη τὸ ἔθος. — τὸ δὲ πολλάκις φύσιν ποιεῖ. Cff. etiam M. M. I, 34, II, 3, Eud. V, 13, Ritter, O. l. III, 296, 297.

inesse videntur; ad justitiam enim temperantiam, fortitudinem, ceterasque virtutes apti habilesque sumus cum primum nascimur; sed tamen aliud quiddam, quod proprie bonum sit, requirimus, et virtutes tales aliter, mente scilicet, ratione vel prudentia, inesse volumus".

Insignis in Aristotelis ethica doctrina character cernitur in moralis principii, tam in civitate, quam in singulis hominibus, arctissima cum hominis facultatibus a natura datis conjunctione: hinc ipsa natura bonum spectat (1), nihilque honestum esse dicitur, quod cum natura pugnet (2). Praeterea in libris Politicis, de quorum auctoritate nemo dubitat, Eudemia enim et Magna Moralia mittimus (3), tribus modis φύσει, ἔθει ac λόγῳ aliquem bonum fieri et τὸ εὖ ζῆν καὶ τὴν εὐδαιμονίαν vel fortuna vel natura parari censet (4). Quod vero maxime tenendum, Aristoteles, multo magis etiam quam Plato, bona a natura data, quae, vel eligenda, vel expetenda sunt, corporis scilicet et externa (5), summo bono accensuit; hinc illud

(1) de Anima III, 12, p. 434, b. 1: Τέλος — ὅ ἐςι φύσεως ἔργον. (2) Pol. VII, 3, p. 1325, b. 9: Οὐδὲν δὲ τῶν παρὰ φύσιν καλόν. Cf. Eud. VII, 15. (3) Cf. disp. n. p. 18. (4) Pol. VII, 13. (5) His bonis Ciceronem naturae bona intelligere, apparet maxime ex Acad. I, 5, 6, de Fin. II, 12, 13, IV, 6, V, 8, Tusc. V, 30. Cff. Stob. Ecl. Eth. p. 268, 278, 312 et Madv. ad lib. IV, de Fin. § 15. Cicero tamen,

agendi principium, quod Stoici a summo bono secernendum, Aristoteles vero et Peripatetici arcte cum eo copulandum esse judicarunt; quod principium, nisi a natura, aliunde repeti non posse neminem fugiet (1).

De Laelio, quem supra jam vidimus (2) magna ex parte ex libro octavo et nono Nicomacheorum esse profectum, Madvigius, Zellio (3) adstipulatus, strictim quidem monet, non dubitandum esse, quin Cicero sua Aristoteli non debuerit, sed hujus sententiae nullas rationes affert, et, ut missum faciam duplicis justitiae partitionem ab Aristotele rite demum constitutam, de tota libri quarti et quinti Tusculanarum Quaestionum disputatione, ubi de perturbationibus agitur, in quibus exponendis Aristoteles maxime excelluit, ne verbo quidem monet, tautum contendens, Ciceronem ex popularibus scriptis Aristotelis et Theophrasti eadem haurire potuisse; talis vero argumentandi ratio, ubi

---

non satis sibi constans, aliis locis etiam ingenii motum (Peripateticorum virtutes non voluntarias) his *naturae primis* annumeravit, ut de Fin. II, 11, V, 7, 13. Cff. Stob., lib. II, c. 7, p. 60, 61. Ed. Heer. et Madv. Exc. IV, p. 832 sqq. (1) Cff. Cic. de Fin. V, 20, 21 et doct. hac de re J. R. Thorbeckii Diss. Phil. in Ann. Acad. Lugd. Bat. 1818, p. 14 sq., quem laudat Kuehnerus, O. I. p. 256. (2) disp. n. p. 136 sqq. (3) ad Eth. Nic. VIII, 4, § 2, p. 344, VIII, 13, p. 370, 371, IX, 3, § 5, p. 391.

scripta non adsunt, quae hujusmodi dieti auctoritatem vel tueri vel infirmare possint, praefiscine dixerim, controversiam dirimere non videtur.

Ut autem ex ipsis libris de Finibus argumenta petam contra Madvigii sententiam; quorsum illa mentio de Luculli bibliotheca (1), eo loco, quo cum Catone, Stoica defendente, de summo bono sit disputaturus? Nisi in ea, vel novum pannum adsutum videamus, vel, quod mihi quidem probabilius videtur, eam consulto a Cicerone, ut cum reliquae disputationis contextu arcte cohaereat, interpositam; ethica igitur scripta, tam Stoicorum libris, quam Aristotelis commentariis, quae ibi commemorat, maxime spectata fuisse dicamus. Quorsum illa praedicatio propositi sui Aristotelem non vertendi, sed locos tantum quosdam transferendi (2), in his potissimum libris, in quibus scripta ejus fama tantum sibi innotuisse profiteri coactus fuisset?

Quod vero ad Stahrium, concedo eum nimis curiosum fuisse in similibus utriusque locis deprehendendis, idemque Madvigio assentior, e Ciceronis scriptis effici posse, eum magis reconditam Aristoteliae doctrinae partem non percepisse, nec scripta, quae hanc doctrinam continent, legisse; sed hujus generis scripta arctioribus limitibus includenda esse opinor. Ut obscuriora sunt quaecunque de metaphysicis (3), physicis, de

---

(1) disp. n. p. 37 sq. (2) disp. n. p. 157. (3) Cf.

coelo, mundo, similibusque scripsit, ita libri ad Nicomachum planissimi sunt, multoque planiores quam aliorum philosophorum scripta, quae Ciceronem legisse constat; eos igitur immerito obscurioris doctrinae scriptis annumerat Madvigius, cum contra ex mente ipsius Aristotelis probari possit, eos cum vulgaris doctrinae libris rhetoricis ac politicis esse copulandos.

Respicienda maxime est ea divisio, qua τὴν πολιτικὴν ipsam vel philosophiam practicam, τὴν πραγματείαν τῆς πρακτικῆς φιλοσοφίας sive τὴν πραγματείαν πρακτικὴν ut eam Titzius (1) vocat, in tres partes, τὰ περὶ τὰ ἤθη πολιτικά, (τὴν ἠθικήν, τὴν περὶ τὰ ἤθη πραγματείαν), τὴν οἰκονομικὴν et τὴν πολιτικήν (2), partiendam, ipsam ethicam politices fundamentum (3), summum vero finem politicam (4) esse contendit. Idem quum censeret ethicam in singulis

Krische, O. l p. 265, 266, 269, 276, qui jure negat ipsum Ciceronem excerpta sua ex Aristotelis Metaphysicis hausisse. (1) O. l. p. 21, 22, 38. (2) Cff. Rhet. I, 2, p. 1356, a. 26, 4, p. 1359, b. 10, Nic. I, 1, M. M. I, 1, p. 1181, b. 26, Ritter, O. l. III, p. 346, Titze, O. l. p. 43, 44. (3) Cf. Buhle, O. l. III. p. 165, 166. (4) Nic. I, 1, p. 1094, b. 7: Εἰ γὰρ καὶ ταὐτόν ἐςιν ἑνὶ καὶ πόλει, μεῖζόν γε καὶ τελεώτερον τὸ τῆς πόλεως φαίνεται καὶ λαβεῖν καὶ σώζειν· ἀγαπητὸν μὲν γὰρ καὶ ἑνὶ μόνῳ, κάλλιον δὲ καὶ θειότερον ἔθνει καὶ πόλεσιν· ἡ μὲν οὖν μέθοδος τούτων ἐφίεται, πολιτική τις οὖσα. Cff. M. M. I, 1, Buhle, O. l. III, p. 6, 7, Tenn. O. l. III, p. 262.

hominibus quod politicam in civitate spectare, ethicam doctrinam ipsam, licet minore jure, ad solum bonum morale virtutisque partem moralem restrinxit (1); politices vero ipsius finem esse voluit. Τὸ ποιούς τινας καὶ ἀγαθοὺς τοὺς πολίτας ποιῆσαι καὶ πρακτικοὺς τῶν καλῶν (2). Hoc vinculum apparet maxime ex egregio illo loco in fine Nicomacheorum, quem supra apponendum esse duxi (3).

Cum Cicero philosophiae partem moralem prae ceteris coluerit, si admittamus eum, et πολιτείας, quod adeo Madvigius affirmat (4), et libros Politicos Aristotelis, quod prioris capitis comparatione jam apparuit, legisse, vix credibile est, rejectis adeo omnibus antiquorum testimoniis, quae contrarium probant, Ciceronem in omni inquirendi et philosophandi studio adeo fuisse negligentem, ut caput disquisitionis, libros Nicomacheos, quibus deficientibus politica Aristotelis opera imperfecta erunt dicenda, prorsus non curaverit (5).

Ex his argumentis, quae, etiamsi singula fortas-

(1) Ritter, O. l. III, p. 315. (2) Nic. I, 10. Cff. c. 2 in f. VIII, 9 et Pol. I, 1, 2, Tenn. O. l. III, p. 257, 258, 304, Ritter, O. l. III, p. 347. (3) disp. n. p. 148. Cff. Buhle, O. l. III, p. 165, 166 et Titze, O. l. p. 42. (4) Exc. VII, p. 855. (5) Cff. Arist. M. M. I, 1, Titze, O. l. p. 43, Stahr, II, p. 113, 114, 155—159 et Tenn. O l. III, p. 32, 73, 74, qui rite monuit Nicomachea ante Politica esse conscripta, cum his vero unum quasi opus efficere.

sis minus valerent, conjuncta tamen vires acquirunt haud contemnendas, jure efficere posse mihi videor, Ciceroni practicam Aristoteliae philosophiae partem optime innotuisse; eum vero theoreticam, τὴν τῆς ἀληθείας θεωρίαν θεολογικὴν et μαθηματικήν (1), ne attigisse quidem, quaeque ex hac retulerit e recentiorum philosophorum scriptis hausisse. Quod quo magis appareat, singula enucleatius indagemus.

DE PRACTICA PHILOSOPHIA.

Rite monuerunt tam Tennemannus (2) quam Madvigius (3) diversas sectas, Academicorum, Peripateticorum, Stoicorum, modo tanquam consentientes, verbis tantum dissidentes, modo tanquam in dissimillima abeuntes a Cicerone fuisse propositas (4), quae observatio in controversiam de summo bono maxime quadrat. Cicero enim, suo conciliandi studio quasi occaecatus, veras differentias, etsi ex locorum comparatione (5) non

---

(1) Titze, O. l. p. 22 sq. (2) O. l. V, p. 126. (3) Exc. IV, p. 838. (4) Loca quae huc pertinent accurate collegit Stahr, II, p. 146, 147. (5) Acad. I, 5, 6, II, 43—45, imprimis c. 44, de Fin. II, 21, III, 12, 13, IV, 6, 8, 10, 12—14, 20, 21, V, 24, 27—32, Tusc. V, 27, de Off. I, 1, 2, III, 8, de N. D. I, 7, de Inv. II, 59, Top. c. 22, Orat. Part. c. 11. Cff. disp. n. p. 165 et 166, nota 1.

latuisse eum appareat (1), facile se transilire posse arbitrabatur: „Platonis", inquit (2), „auctoritate, — una et consentiens duobus vocabulis philosophiae forma instituta est, Academicorum et Peripateticorum: qui rebus congruentes, nominibus differebant. Nam, quum Speusippum, sororis filium, Plato philosophiae quasi heredem reliquisset; duos autem praestantissimos studio atque doctrina, Xenocratem Chalcedonium, et Aristotelem Stagiritem: qui erant cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt, quia disputabant ambulantes in Lycio: illi autem, qui Platonis instituto in Academia (quod est alterum gymnasium) coetus erant et sermones habere soliti, e loci vocabulo nomen habuerunt. Sed utrique Platonis ubertate completi, certam quandam disciplinae formulam composuerunt, et eam quidem plenam, ac refertam: illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus et nulla affirmatione adhibita consuetudinem disserendi reliquerunt. Ita facta est disserendi, quod minime Socrates probabat, ars (3) quaedam philosophiae, et rerum ordo et

---

(1) Cf. imprimis de N. D. I, 7. Krische, O. l. p. 262, rite monuit has locorum repugnantias maxime esse repetendas ex personarum, quas induxit, sententiae diversitate. (2) Acad. I, 4. Cff. c. 6. Acad. II, 5, 44, de Fin. IV, 2, de Legg. I, 7, de Off. III, 4, de Orat. III, 18 et Ph. G. van Heusde, Char. p. 187 sqq. (3) Cff. Menag. ad Diog. Laërt. V, sect. 2 et Origines, Phil. c. 20, p. 136, 141, 142.

descriptio disciplinae. Quae quidem erat primo duobus, ut dixi, nominibus una; nihil enim inter Peripateticos, et illam veterem Academiam differebat. Abundantia quadam ingenii praestabat, ut mihi videtur, Aristoteles quidem; sed idem fons erat utrisque, et eadem rerum expetendarum fugiendarumque partitio" (1).

Cicero in morali philosophiae parte quaestionem de summo bono, cum maxime in libris de Finibus, tum etiam libro quinto Tusculanarum Quaestionum magno cum studio agitandam esse censuit, et, sive Aristotelio sive Carneadio more hoc factum dicamus, variis primum de summo bono sententiis propositis (2), Academicis et Peripateticis, qui in una quidem virtute statuebant positam esse vitam beatam (3), nec tamen beatissimam (4), nisi adjungerentur et corporis et externa sive fortunae bona, adstipulatus est: „Ex hac", ut ait Cicero (5), „descriptione, agendi quo-

(1) Cf. Krische, O. l. p. 248, 249. (2) de Fin. II, 11, 13, III, 9, IV, 18, V, 8, 25. Cff. Arist. Rhet. I, 5 sqq. Eud. I, 1, Nic. I, 2, 3, 5, 6, X, 2, Buhle, O. l. III, p. 22—24, Tenn. O. l. III, p. 263, Harles, Arist. de Poët. liber, p. 242 sqq. (3) Cf. Alex. Aphrod., lib. II de Anim., p. 156 sqq. Venet. 1534, apud Ald. (4) Acad. I, 6, de Fin. V, 32. Tusc. V, 13. (5) Acad. l.l. Similis locus est de Fin. IV, c. 7: „Omnis natura" etc. Cff. Tusc. V, 17, 18, de Off. I, 4, 5, Arist. Nic. I, 3, 8, Orig. Phil. c. 19, p. 123, 124, c. 20, p. 139, Kuehner, O. l. p. 223, 224.

que aliquid in vita, et officii ipsius initium repe-riebatur; quod erat in conservatione earum rerum, quas natura praescriberet. Hinc gignebatur fuga desidiae voluptatumque contemptio: ex quo laborum dolorumque susceptio multorum magnorumque, recte honestique causa; et earum rerum, quae erant congruentes cum descriptione naturae; unde et amicitia exsistebat, et justitia, atque aequitas; haeque et voluptatibus, et multis vitae commodis anteponebantur". Aristoteles igitur virtutis usum cum vitae perfectae prosperitate conjungens (1), hominem statuit ad duas res ad intelligendum et ad agendum esse natum, quasi mortalem Deum (2). Erat autem ejus de summo bono sententia, non minus quam Platonis, cum honestate ornatissima (3), tum etiam ipsis initiis

---

(1) de Fin. II, 6, Arist. Nic. I, 13. Cff. Diog Laërt. V, sect. 30, Stob. Ecl. p. 276. (2) de Fin. II, 13. Haec sententia, ab antiquis saepe celebrata, exstat apud Hieroclem, Aur. carm. I, p. 16: Εἰκότως θεοὶ θνητοὶ λέγοιντ' ἂν αἱ ἀνθρώπιναι ψυχαί et apud Clementem, Paedag. III, c. 1, p. 251: Ὀρθῶς ἄρα εἶπεν Ἡράκλειτος ἄνθρωποι θεοί· θεοὶ ἄνθρωποι. Cff. Max. Tyrius, Diss. XXIX, Lucianus, Vita Auct. Tom. I, p. 379, Diog. Laërt. V, sect. 28, Plut. Plac. Phil. I, prooëm. p. 874, Gatakerus, Comm. ad M. Anton. p. 274, H. Steph. Poës. Phil. p. 135. Ipse Aristotelis locus deperditus est. (3) Nic. I, 11, p. 1100, b. 12: Περὶ οὐδὲν οὕτως ὑπάρχει τῶν ἀνθρωπίνων ἔργων βεβαιότης ὡς περὶ τὰς ἐνεργείας τὰς κατ' ἀρετήν·

naturae et totius perfectione vitae locupletata; est enim ψυχῆς, ut ait Aristoteles, ἐνέργεια κατ' ἀρετὴν ἐν βίῳ τελείῳ; quod Cicero ita optime interpretatus est: „Vivere ex hominis natura undique perfecta et nihil requirente" (1). „Si ad honestatem", inquit (2), „nati sumus, eaque aut sola expetenda est, ut Zenoni visum est, aut certe omni pondere gravior habenda, quam reliqua omnia, quod Aristoteli placet, necesse est, quod honestum sit, id esse aut solum, aut summum bonum; quod autem bonum, id certe utile: ita, quidquid honestum, id utile". Aristoteles enim, libro decimo Nicomacheorum (3), cum vitam beatam vel theoreticam vel activam esse censeret: „Mentis", ait, „functio gravitate praestare videtur, cum in rerum contemplatione versetur, et quidem nullum alium finem, nisi hunc, expetere, sed tamen voluptatem quandam propriam et se ipsa contentam, omniaque, quae vitam beatam complent, sibi praesto habere videatur. Quod si mens divinum quid est, vita quoque, huic menti

---

μονιμώτεραι γὰρ καὶ τῶν ἐπιστημῶν αὗται δοκοῦσιν εἶναι. τούτων δ' αὐτῶν αἱ τιμιώταται μονιμώταται διὰ τὸ μάλιστα καὶ συνεχέστατα καταζῆν ἐν αὐταῖς τοὺς μακαρίους. Cff. Eud. II, 1, M. M. I, 4. (1) de Fin. V, 9, ibique Madv. p. 661, qui citat Arist. Nic. I, 7, 14 et 15. Cff. X, 6, Diog. Laërt. V, 30, Stob. Ecl. p. 68, 70, 276, 278, Tenn. O. l. III, p. 267. (2) de Off. III, 8. Cf. de Fin. V, 14. (3) c. 6, 7, 8. Cff. M. M. I, 1, 4, Eud. I, 8, II, 1.

consentanea, si cum humana comparetur, divina erit; oportet igitur, quoad fieri possit, nos vitam appetere nulli mortis calamitati obnoxiam (ἀποθανατίζειν), et maxime niti, ut optimae nostri parti convenienter vivamus; quod autem cujusque naturâ est proprium, id quoque ei et optimum et jucundissimum. Homini igitur vita beatissima erit menti consentanea, si quidem haec pars homo maxime dicenda est". „Aristoteles, Xenocrates, tota illa familia", ut ait Cicero (1), „valetudinem, vires, divitias, gloriam, multa alia, bona esse dicunt, laudabilia non dicunt. Et hi quidem ita non sola virtute finem bonorum contineri putant, ut rebus tamen omnibus virtutem anteponant", et alio loco (2): „Saepe ab Aristotele, a Theophrasto mirabiliter est laudata per se ipsa rerum scientia" (3). — Cicero duobus locis, tam in libris de Finibus, quam in Tusculanis Quaestionibus, traditione quadam de Sardanapali busto Aristotelis de beata vita sententiam significavit: „Corporis voluptas si etiam praeterita delectat, non intelligo, cur Aristoteles Sar-

(1) de Fin. IV, 18. Cf. c. 23, imprimis V, 24. (2) Ib. V, 25. (3) Nic. II, 5: Πᾶσα ἐπιστήμη οὕτω τὸ ἔργον εὖ ἐπιτελεῖ, πρὸς τὸ μέσον βλέπουσα καὶ εἰς τοῦτο ἄγουσα τά ἔργα. Cff. VI, 3, Rhet. I, 11, p. 1371, b. 28: Ἡ σοφία πολλῶν καὶ θαυμαστῶν ἐπιστήμη. Anal. Post. I, 2, 33, II, 19, Soph. Elench. c. 9, M. M. I, 1, Pol. IV, 1, Metaph. I, 1. Vide Ph. G. van Heusde, Char. p. 154.

d a n a p a l i epigramma tanto opere derideat: in quo ille rex Assyriae glorietur, se omnes secum libidinum voluptates abstulisse. Quod enim ne vivus quidem, inquit, diutius sentire poterat, quam dum fruebatur; quo modo id potuit mortuo permanere" (1)? et in Tusculanis (2): „Quo modo igitur jucunda vita potest esse, a qua absit prudentia, absit moderatio? Ex quo S a r d a n a p a l i, opulentissimi Syriae regis, error agnoscitur, qui incidi jussit in busto:

Haec habeo, quae edi, quaeque exsaturata libido
Hausit: at illa jacent multa, et praeclara relicta.

Quid aliud, inquit A r i s t o t e l e s, in bovis, non in regis sepulcro inscriberes"?

A r i s t o t e l e s in libris N i c o m a c h e i s loca, tam de virtutibus, quam de affectibus, a P l a t o n e, qui magis virtutis universae naturam indagaverat, nimis neglecta, uberius exposuit (3). Omnem igitur virtutem vel διανοητικὴν vel ἠθικήν (4); utramque vero arctissimo vinculo conjunctam esse voluit: Οὐχ οἷόν τε ἀγαθὸν εἶναι κυρίως ἄνευ φρονήσεως, οὐδὲ φρόνιμον ἄνευ τῆς ἠθικῆς ἀρε-

---

(1) de Fin. II, 32. (2) V, 35. Cff. Arist. Nic. I, 5 init.: Οἱ μὲν οὖν πολλοὶ παντελῶς ἀνδραποδώδεις φαίνονται βοσκημάτων βίον προαιρούμενοι, τυγχάνουσι δὲ λόγου διὰ τὸ πολλοὺς τῶν ἐν ταῖς ἐξουσίαις ὁμοιοπαθεῖν Σαρδαναπάλῳ. Eud. I, 5, p. 1216, a. 16. (3) Tenn. O. l. III, p. 295. (4) Cum hac divisione cohaeret distinctio in beatitudinem theoreticam seu contemplativam et activam.

τῆς (1); et quum, quid singulis virtutibus proprium esset, docuerit, exin omnibus, ut medium quoddam respicerent, commune esse statuit: Ἔςιν ἄρα ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετική, ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὡρισμένη λόγῳ (2). Quam sententiam egregie Cicero his verbis expressisse mihi videtur: „Qualis est igitur omnis haec, quam dico, conspiratio, consensusque virtutum, tale est illud ipsum honestum: quandoquidem honestum, aut ipsa virtus est, aut res gesta virtute. — Atque haec conjunctio confusioque virtutum, tamen a philosophis ratione quadam distinguitur. Nam quum ita copulatae connexaeque sint, ut omnes omnium participes sint, nec alia ab alia possit separari: tamen proprium suum cujusque munus est" (3).

Ciceronem constat hanc Aristotelis partitionem pluribus locis esse secutum; in libris enim de Finibus (4) inter insitam quandam vel potius innatam cupiditatem scientiae et eas virtutes distinxit, quae notae illustresque sunt, justitiam, temperantiam, ceteras generis ejusdem; quae omnes similes artium reliquarum, materia tantum ad meliorem partem, et tractatione differunt. Et in li-

---

(1) Nic. VI, 13, p. 1144, b. 31 sq. Cf. Ritter, O. l. III, p. 302 sqq. (2) Nic. II, 6. Cff. M. M II, 9, Eud. VII, 15 et Ritter, O. l. III, p. 332 sqq., imprimis p. 336. (3) V, 23. Cf. Stob. II, 1, p. 306. (4) IV, 2. Cff. c. 13 in f., Madv. p. 489 et Stob. Ecl. Eth. p. 246, 292.

bris de Officiis (1): „Virtus omnis", inquit, „tribus in rebus fere vertitur, quarum una est in perspiciendo, quid in quaque re verum sincerumque sit, quid consentaneum cuique, quid consequens, ex quo quaeque gignantur, quae cujusque rei causa sit; alterum, cohibere motus animi turbatos, quos Graeci πάθη nominant, appetitionesque, quas illi ὁρμάς, obedientes efficere rationi: tertium, iis, quibuscum congregamur, uti moderate, et scienter, quorum studiis ea, quae natura desiderat, expleta cumulataque habeamus: per eosdemque, si quid importetur nobis incommodi, propulsemus, ulciscamurque eos, qui nocere nobis conati sunt, tantaque poena afficiamus, quantam aequitas humanitasque patitur". Est igitur Ciceroni, ut ex hoc loco maxime patet, non minus quam Aristoteli (2), prior pars simplex, posterior multifaria.

Secutus quoque est alteram divisionem virtutum (3), ab Aristotele primum propositam, ab iis, qui eum secuti sunt, demum magis excultam, in „duo prima genera, unum earum, quae ingenerantur suapte natura, appellanturque non volun-

---

(1) II, 5. (2) Nic. VI, 13, Eud. V, 13. Cf. Buhle, O. l. III, p. 34 et Madv. l. l., qui frustra hanc similium locorum evidentiam tollere studuit. (3) de Fin. V, 13. Cf. Acad. I, c. 5, ubi in naturam et mores dividuntur. Cff. Nic. I, 13, VI, 1, 2, 12, imprimis M. M. I, 5, Tenn. O. l. III, p. 286, 287.

tariae: alterum earum, quae, in voluntate positae, magis proprio nomine appellari solent".

Uti in virtute explicanda copiosus fuit Aristoteles, libellumque adeo *περὶ ἀρετῶν* composuit, ita quoque Cicero in libris de Officiis, in quibus, Panaetio auctore, sine dubio Stoicis placitis Academica et Peripatetica miscuit (1), singularum virtutum naturam persecutus est, et commentarium seu libellum de virtutibus, ut Patritius censet, post tres libros de Officiis, scripsisse videtur, ex quo tamen vix unum alterumve incertum fragmentum superest (2); Cicero tamen non, ut Aristoteles, officiorum doctrinam neglexit.

Non tantum in Ciceronis operibus ethicis Aristotelis de virtute praecepta exstant, sed etiam ultimo libro de Natura Deorum (3) his verbis Aristotelis (4) locum respexisse videtur: „Quid

---

(1) de Off. I, 2. Cff. Beyer ad h. l., Kuehner, O. l. p. 77, 78, 91, 122, Wytt. Bibl. Crit. II, IV, p. 67, Lynd. de Pan. p. 88. (2) Orell., Fragm. p. 492. (3) c. 15. (4) Nic. X, 8, ubi, *τὴν τελείαν εὐδαιμονίαν τὴν θεωρητικὴν* Diis tribuens: *Πράξεις δὲ ποίας ἀπονεῖμαι χρεὼν αὐτοῖς; πότερα τὰς δικαίας; — ἀλλὰ τὰς ἀνδρείους; — αἱ δὲ σώφρονες, τί ἂν εἶεν; ἢ φορτικὸς ὁ ἔπαινος, ὅτι οὐκ ἔχουσι φαύλας ἐπιθυμίας; διεξιοῦσι δὲ πάντα φαίνοιτ' ἂν τὰ περὶ τὰς πράξεις μικρὰ καὶ ἀνάξια θεῶν. ἀλλὰ μὴν ζῆν τε πάντες ὑπειλήφασιν αὐτοὺς καὶ ἐνεργεῖν ἄρα. — τῷ δὴ ζῶντι τοῦ πράττειν ἀφαιρουμένου, ἔτι δὲ μᾶλλον τοῦ ποιεῖν, τί λείπεται πλὴν θεωρία, ὥςε ἡ τοῦ θεοῦ ἐνέργεια, μακαριότητι διαφέρουσα, θεωρητικὴ ἂν εἴη.*

enim? prudentiamne deo tribuemus? Nam justitia, quae suum cuique distribuit, quid pertinet ad deos? Temperantia autem constat ex praetermittendis voluptatibus corporis, cui si locus in caelo est, est etiam voluptatibus. Nam fortis deus intelligi quî potest in dolore, an in labore aut in periculo, quorum deum nihil attingit? Nec ratione igitur utentem, nec virtute ulla praeditum deum intelligere quî possumus"?

Ne in orationibus quidem, philosophorum refertis sententiis (1), Aristotelis immemor Cicero fuit. In oratione enim pro Murena, Catonem, qui, cum Stoicae doctrinae esset addictus, gravis ac vehemens Murenae accusator exstiterat, acriter perstringens (2): „Nostri", inquit (3), „illi a Platone et Aristotele, moderati homines et temperati, ajunt, apud sapientem valere aliquando gratiam: viri boni esse misereri: distincta genera esse delictorum, et dispares poenas: esse apud hominem constantem ignoscendi locum: ipsum sapientem saepe aliquid opinari, quod nesciat: irasci nonnumquam: exorari eundem et placari: quod dixerit, interdum, si ita rectius sit, mutare: de sententia decedere aliquando: omnes virtutes mediocritate quadam esse moderatas. Hos ad magistros si qua te fortuna, Cato, cum ista natura detulisset, non tu qui-

(1) Cff. Parad. proöem. Orat. c. 4, de Orat. passim, de Off. I, 1, Tusc. II, 3, Wytt, Bibl. Crit. I, p. 5 et 7, Kuehner, O. I. p. 36, 37. (2) c. 28 sqq. (3) c. 30. Cf. de Fin. IV, 27.

dem vir melior esses, nec fortior, nec temperantior, nec justior, (neque enim esse potes), sed paullò ad lenitatem propensior. Non accusares, nullis adductus inimicitiis, nulla lacessitus injuria, pudentissimum hominem, summa dignitate atque honestate praeditum: putares, quum in ejusdem anni custodia te atque L. Murenam fortuna posuisset, aliquo te cum hoc rei publicae vinculo esse conjunctum: quod atrociter in senatu dixisti, aut non dixisses, aut seposuisses, aut mitiorem in partem interpretarere".

Cicero in Tusculanis Quaestionibus, imprimis libro quarto, alterum locum, ab Aristotele uberius pertractatum, de perturbationibus (1), exposuit, Peripateticorum sententiam cum rigidis Stoicorum placitis comparavit (2), et cum illis animi perturbationes omnes in nostra potestate, omnes judicio susceptas, omnes voluntarias esse censuit (3). Licet Cicero in hac disquisitione nullum Aristotelis locum nominatim attulerit, pro parte tamen eundem quasi colorem refert ac libri secundi disputatio Aristotelis Rhetoricorum.

Aristoteles virtutes omnes tum ad actiones, tum ad perturbationes (πράξεις καὶ πάθη (4)) referens, utrasque tam voluptates quam dolores (ἡδονὰς καὶ λύπας) esse voluit: his autem etiam

(1) Cff. Rhet. I, c. 10—15, II, ab initio — c. 12, Nic. imprimis II, 4, M. M. I, 7, Eud. II, 2. (2) Tusc. IV, 5, 18, 20 sqq. (3) Ib. c. 31. Cf. Arist. Rhet. II, 4 init. τῆς βουλήσεως σημεῖον αἱ λῦπαι καὶ αἱ ἡδοναί. (4) Cf. Cic. Tusc. III, 10.

supplicia, quae in maleficos doloribus inferendis constituuntur, esse accensenda duxit. „Medicinae (ἰατρεῖαι)", ut ait (1), „sunt quaedam, quae ex rebus contrariis oriuntur: ex voluptatibus autem et doloribus vitiosi habitus (ἕξεις) nobis innascuntur, quia et illas consectamur et hos fugimus, et quas aut quos et quando aut quomodo non oportet. Concedendum igitur est, virtutem, quae in voluptatibus ac doloribus versatur, talem esse, quae optima efficere possit; e vitio vero contraria gigni. Cum autem tria sint expetenda, honestum, utile, jucundum, tria quoque fugienda, turpe, inutile, molestum; in his quidem omnibus modum optime tenere virum bonum, pravum vero, qui in voluptatibus maxime offendit, ab eo recedere". His proxime accedit disputatio quam Cicero inde a c. 15, Lib. IV. Tusculanarum instituit: „Virtus est affectio animi constans conveniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est, et ipsa per se, sua sponte, separata etiam utilitate, laudabilis: ex ea proficiscuntur honestae voluntates, sententiae, actiones, omnisque recta ratio; quamquam ipsa virtus brevissime recta ratio dici potest. Hujus igitur virtutis contraria est vitiositas. — Ex qua concitantur perturbationes, quae sunt turbidi animorum concitatique motus, aversi a ratione, et inimicissimi mentis vitaeque tranquillae". — Eorum igitur malorum in una virtute posita sanatio est".

(1) Nic. II, 2, p. 1104, b. 17. Cff. Eud. II, 1, M. M. I, 5 et Rhet. ad Alex. c. 2.

DE THEORETICA PHILOSOPHIA.

In hac disquisitionis nostrae parte spatium fere vacuum Ciceronem nobis reliquisse eumque theoreticae Aristotelis doctrinae obscuritate ab his scriptis legendis fuisse rejectum, fateamur necesse est; quae si legisset, in exponenda gravissima de ideis contentione inter Platonem atque Aristotelem (1) ei dicendi copia nec defuisset, nec in sola hac commemoratione: „Aristoteles primus species labefactavit: quas mirifice Plato erat amplexatus" (2), acquievisset (3).

Tusculanae Quaestiones.

Cicero in animi divisione Platonem et Py-

---

(1) Cff. Nic. I, 4, Eud. I, 8, M. M. I, 1, p. 1182, b. 6 sqq., Top. VI, 10, Met. I, 6, 7, VI, 14, 15, 16, X, 1, 12, XI, 10, imprimis XII, init., c. 4, 5, 10, Phys. IV, 14, p. 223, b. 4. Vidd. Wytt. Log. p. 41 et 100, Zell, Comm. p. 25, Orig. in Celsum, II, p. 67, Zacharias Scholasticus, Disp. p. 520, Cyrillus contra Jul., II, p. 66, B, Caelius Rhodiginus, Lect. Ant. XVI, p. 612. Ed. Bas. 1542, Heusd. Char. p. 202 sqq., Tenn. O. l. III, p. 25, Stahr, I, p. 54 sqq., II, p. 86, 87 et G. Abeken, O. l. p. 19 et 20. Aristotelis περὶ τῆς ἰδέας librum citat Diogenes Laërtius in catalogo suo; vide Titzium, O. l. pagg. 28, 39, 80, 96, 104 sqq. (2) Acad. I, 9. (3) Ex hac maxime ignorantia repetenda mihi videtur controversa Simplicii et Ciceronis de Aristotelis Topicis Rhetoricis sententia. Cf. disp. n. p. 62.

thagoreos maxime secutus, varia philosophorum placita recensens (1), Aristotelis sententiam tantum attigit: „Aristoteles — quum quattuor nota illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse, e qua sit mens. Cogitare enim et providere, et discere, et docere, et invenire aliquid, et tam multa alia, meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, laetari: haec, et similia eorum, in horum quattuor generum nullo inesse putat. Quintum genus adhibet, vocans nomine; et sic ipsum animum, ἐντελέχειαν appellat novo nomine, quasi quandam continuatam motionem, et perennem" (2), et alio loco: „Sin autem est quinta quaedam natura ab Aristotele inducta primum: haec et deorum est, et animorum. Hanc nos sententiam secuti, his ipsis verbis in consolatione haec expressimus: Animorum nulla in terris origo inveniri potest. Nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum fictumque esse videatur: nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat, quod et praeterita teneat, et futura provideat, et complecti possit praesentia: quae sola divina sunt; nec invenietur un-

(1) Cf. Wytt. Opusc. II, p. 636 sqq., imprimis pagg. 646, 647. (2) I, 10. Vidd. Goerenzius et Otto ad h. l., collato Madvigio ad lib. IV, c. 5, de Fin., p. 501.

quam, unde ad hominem venire possint, nisi a deo. Singularis est igitur quaedam natura, atque vis animi. sejuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vivit, quod viget, caeleste et divinum, ob eamque rem aeternum sit necesse est. Nec vero deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, et movens, ipsaque praedita motu sempiterno" (1), et, proposita omnium naturae rerum praestantia: „Haec igitur", inquit, „et alia innumerabilia cum cernimus, possumusne dubitare, quin his praesit aliquis vel effector, si haec nata sunt, ut Platoni videtur: vel, si semper fuerunt, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis et muneris" (2)?

Quum Cicero, quem fere constat Eudemum legisse, Aristotelis de animo sententiam ignorare non potuerit; qui, si fides habenda est Proclo (3),

---

(1) Tusc. I, 26, 27. Admixta sunt his multa Platonica, ut jam monuit J. A. C. van Heusde, O. l. p. 248, 249. (2) Ib. c. 29. Cff. c. 17: „Quinta illa, non nominata magis quam non intellecta natura" (de quo loco vide Orellium), Acad. I, 11, de Fin. IV, 5, Arist. de Anim. II, 1, p. 412, a. 27 sq.: Ψυχή ἐςὼ ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος. et III, 8, Diog. Laërt. V, 32 et l. l. a Tenn. O. l. III, p. 176 sqq. et Rittero, O. l. III, p. 276 sqq. (3) Comm. in Tim. Plat. lib. V, p. 338, quem laudat Wytt. Opusc. II,

cujus aetate ejus dialogi nondum perierant, „in opere de Anima, physice hoc argumentum tractans, nil dixit de animi in corpus descensu, nec de ejus sorte ac statu; de hac enim parte praeparationis causa disputaverat in Dialogis"; mirum, eum, opportunitate data, gravissimam illam quaestionem, de qua etiamnunc in contrarias partes abeunt interpretes (1), utrum Aristoteles

---

p. 606. Haec sententia confirmatur loco quodam ipsius Aristotelis, Nic. I, 13, p. 1102, a. 25 sqq, ubi, in animi mentionem incidens, ita procedit: Τὸ γὰρ ἐπὶ πλεῖον ἐξακριβοῦν ἐργωδέςερον ἴσως ἐςὶ τῶν προκειμένων. Λέγεται δὲ περὶ αὐτῆς καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις ἀρκούντως ἔνια, καὶ χρηςέον αὐτοῖς. οἷον τὸ μὲν ἄλογον αὐτῆς εἶναι, τὸ δὲ λόγον ἔχον. Ταῦτα δὲ πότερον διώρισαι καθάπερ τὰ τοῦ σώματος μόρια καὶ πᾶν τὸ μεριςόν, ἢ τῷ λόγῳ δύο ἐςὶν ἀχώριςα πεφυκότα καθάπερ ἐν τῇ περιφερείᾳ τὸ κυρτὸν καὶ τὸ κοῖλον, οὐθὲν διαφέρει πρὸς τὸ παρόν. Cf. Simpl. Comm. in Arist. de Anima I, p. 14, a.

(1) Hanc interpretum cohortem recensuit Wytt. Opusc. II, p. 601—609. Cff. Idem, Ann. ad Plat. Phaed. p. 249, ibique laudatum fragmentum ex Olympiodoro in Phaedon., e Cod. Voss. Bibl. Acad. Lugd. Bat. №. 15, 4to, p. 91: Ὅτι ὁ Ἀριςοτέλης ἐν τῷ Εὐδήμῳ οὕτως ἐπιχειρεῖ· τῇ ἁρμονίᾳ ἐναντίον ἐςὶν ἡ ἀναρμοςία· τῇ ψυχῇ δὲ οὐδὲν ἐναντίον· οὐσία γάρ· καὶ τὸ συμπέρασμα δῆλον· ἔτι· εἰ ἀναρμοςία τῶν ςοιχείων τοῦ ζώου νόσος, ἡ ἁρμονία εἴη ἂν ὑγίεια, ἀλλ' οὐχὶ ψυχή, Simpl. l. l., Alex. Aphrod. Comm. in Arist. Top. IV, p. 168, Fortunius Licetus, de piet. Arist. et de anim. rat. imm. Pat. 1629, fol., Patrit. Disc.

animum immortalem an mortalem esse statuerit, silentio praetermisisse; nisi ex vocis ἐντελεχείας, qua usus est, interpretatione (1), efficiamus, eum judicasse in hac quaestione nihil dubii, nullam controversiae causam latere; quae conjectura eo mihi videtur veri similior, quum Aristoxeni opinionem, qui animum harmoniam et proinde mortalem esse censebat, reprehendens, haec addat: „Sed hic quidem, quamvis eruditus sit, sicut est, haec magistro concedat Aristoteli; canere ipse doceat" (2). Pugnant quidem loca quaedam, a Cicerone de Aristotele allata, pro animorum immortalitate, imprimis egregium fragmentum ex Eudemo, quem Cicero libro primo de Divinatione immortalitati mandavit (3); at vero his omnibus locis in medio relinquitur, utrum Aristoteles animum immortalem, an cum Stoicis post longum tempus interiturum esse censuerit (4); praeterea hoc etiam tenendum, quod Wyttenbachius (5) in genere de exotericis philosophorum scriptis monuit, eos in his magis communem aliorum senten-

---

Per. I, 7, p. 76, Bekker, de Anima, p. 14, Ancillon, Recherches crit. et phil. sur l'Entél. d'Arist., Heusd. Char. p. 172, Buhle, O. l. III, p. 127, 128, Tenn. O. l. III, p. 207 sqq., Stahr, 1, p. 185, 186, Ritter, O. l. III, p. 290, 291, nota 3, A. C. van Heusde, Diat. in loc. Phil. mor. qui est de Cons. apud Graecos, p. 34 sqq. (1) disp. n. p. 184, (2) Tusc. I, 18. (3) Infra disp. n. p. 201 sq. (4) Cf. Kriesche, O. l. p. 16, 17. (5) O. l. II, p. 497.

tiam esse secutos, de Aristotelis dialogis quoque verum esse. Ipsa autem quaestio eo fit intricatior, quod Aristoteles in scriptis suis magis in utramque partem disseruerit, quam propriam sententiam proponere conatus sit (1). Quum igitur Aristoteles in libris de Anima physice tantum disseruerit, de animi vero statu in dialogis egerit, cum Madvigio (2) affirmare non ausim, nusquam Aristotelem censuisse, animum ex hoc quinto genere esse ortum; imprimis cum Xenocrates, teste Simplicio (3), eandem illam quintam naturam jam aperte commemoraverit (4).

De Natura Deorum.

„Aristoteles", ut ait Cicero (5), in ter-

---

(1) Wytt. Ann. in Plat. Phaed. p, 249, 250. (2) ad lib. IV. de Fin. c. 5, p. 501. Cf. Kriesche, O. l. p. 308. (3) ad Arist. Phys. VIII, p. 268. A. (4) Tenn. O. l. III, p. 184, τὴν πρωτὴν ἐντελέχειαν vocat *die ruhende Kraft*, alteram *die wirkende Kraft*; at vero, ex ipsa illius vocis apud Aristotelem, de Anim. II, 1, per οὐσίαν et ἐνέργειαν interpretatione, probabile videtur, eam nostro *levenskracht*, *levensbeginsel* melius reddi posse; Ciceronis tamen latinam interpretationem, l. l. Tusc., non continuo cum interpretibus rejicerem, imprimis cum, collatis locis de Gen. Anim. I, 2, 18, 21, II, 3, appareat, Aristotelem statuisse una cum τῇ ψυχῇ fieri τὴν ἀρχὴν τῆς κινήσεως. (5) I, 13. Cff. Clem. Alex. p. 44, A, B, Strom. V, p. 591, D, Wytt. de Unit. Dei, Opusc. II, p.

tio de philosophia libro multa turbat, a magistro Platone non dissentiens: modo enim menti tribuit omnem divinitatem, modo mundum ipsum deum dicit esse, modo quendam alium praeficit mundo, eique eas partes tribuit, ut replicatione quadam mundi motum regat atque tueatur: tum caeli ardorem deum dicit esse, non intelligens caelum mundi esse partem, quem alio loco ipse designarit deum. Quomodo autem caeli divinus ille sensus in celeritate tanta conservari potest? ubi deinde illi tot dii, si numeramus etiam caelum deum? Cum autem sine corpore (1) idem vult esse deum, omni illum sensu privat, etiam prudentia (2)".

401, qui laudat Somnium Scip. c. 4. Krische, O. l. p. 260 sqq., et quos citat Minuc. Fel. Oct. c. 19 et Lact. Inst. I, 5. Dilucide Krischius nostro loco probat, Ciceronem hoc placitum, ut etiam cetera, quae libro primo leguntur, non ex sua, sed ex sectae Epicureae, et quidem Phaedri mente retulisse et dijudicasse. (1) Sext. Empir. Pyrrhon. Hyp. III, 24: Ἀριςοτέλης μὲν ἀσώματον εἶπε τὸν θεὸν εἶναι, καὶ πέρας τοῦ οὐράνου. (2) Krischius, qui O. l. p. 263 sqq. summa cum diligentia varias de hoc loco sententias recenset, et Titzius, O. l. p. 47, 71 sqq., imprimis pagg. 84 sqq., 111, 112, 115, pro sua quisque critica libros Metaphysicos ordinandi et purgandi ratione, librum hunc *tertium* de Philosophia, Metaphysicorum *undecimum* ex Edit. Bekk. sive *tertium* ex nova sua dispositione esse censent. Est sua cuique sententia; mihi vero comparationis loca, quae uterque attu-

Quod si Cicero Aristotelis de Deo doctrinam ex ejus Physicis (1), Metaphysicis (2), ceterisque scriptis tenuisset, confusam hanc sententiam, etiamsi ex Velleji Epicurei mente eam protulerit, suo more in sequentibus libris sane refutasset. Licet enim non negem Aristotelis de Deo doctrinam atheismo et materialismo ansam praebuisse, et, si unum excipias locum ex Nicomacheis (3), omni morali principio fuisse destitutam; in libris tamen

---

lit, liberius sumta esse videntur, quam ut continuo eorum, licet acutae, conjecturae suffragari ausim; non enim video, cur non cum Diogene Laërtio, V, 22, peculiare opus περὶ τῆς φιλοσοφίας, vel potius *de historia philosophiae*, tribus libris absolutum, ab Aristotele scriptum fuisse, Ciceronemque ideo maxime Aristotelem tanquam *multa turbantem* induxisse statuamus, quod, fama ad eum perlata contraria haec placita in hoc opere fuisse exposita, iis, quae a Phaedro suo acceperit, acquiescens, non distinxerit, utrum Aristoteles haec tanquam sua, an aliorum placita tradiderit. In hanc autem partem eo magis sum abductus, ubi reputaverim Aristotelem talibus συναγωγαῖς maxime delectatum fuisse, ut et testantur ejus περὶ τεχνῶν συναγωγή et ejus opus περὶ πολιτειῶν. Cf. Titze, O. l. p. 45, et disp. n. p. 121—124. De hac controversa quaestione, quae diu jam tenuit interpretes, vidd. etiam quae monui pagg. 12, 16, 17, 124 n. disp. (1) Stahr, II, p. 158, 159, A. b. d. R. p. 52. (2) Idem II, p. 161, A. b. d. R. p. 50. (3) X, 8 in f. Cf. M. M, II, 8.

qui supersunt (1), Deus proponitur tanquam *omnium rerum prima causa movens*, *motus aeternus*, *continuus*, *unus mundi coryphaeus*, *perpetuus*, *immutabilis*. Non igitur cum Stahrio (2) ex sola fortuita mentione efficiam, Ciceronem Aristotelis tres libros περὶ φιλοσοφίας (περὶ τἀγαθοῦ e Stahrii sententia) legisse, sed potius in Madvigii (3) abeo sententiam, eum hunc locum recentiori cuidam Aristotelis interioris doctrinae interpreti, et quidem Phaedro, debuisse, quod nullo loco planius videtur fieri, quam vaga ejus in Academicis (4) de quinta illa natura sen-

(1) Arist. Phys. Ausc. VI, 10, VIII, 6, 7, 10, de Coelo I, 1, 9, II, 6, Met. XI, 6—8, de Mundo c. 6, (quem tamen librum spurium esse merito judicant interpretes; vidd. quos laudat Heusd. Init. II, III, p. 87, Titze, O. l. p. 116, Ritter, O. l. III, p. 40, Krische, O. l. pagg. 222 in nota, 291, 307 in f.). Cff. Wytt. Opusc. II, p. 395 sqq. et scriptores quos laudat, Idem, Ann. in Plat. Phaed. p. 136, Tenn. O. l. III, p. 110, 241, 257, Heusd. Init. II, III, p. 83, Ritter, O. l. III, p. 112, Stahr, I, p. 21, 22, Krug, Gesch. der Phil. alter zeit, et quos laudat p. 262. (2) Stahr, II, p. 161, A. b. d. R. p. 50, ibique laudatus Brandis, Diat. Acad. de perd. Arist. libr. de ideis et de bono p. 8—10. (3) Exc. VII, p. 855, 858. (4) Acad. I, 7. Cff. de Fin. IV, 3, Orig. Phil. c. 20, p. 139, Cotelèrius ad Clem. recogn. l. VIII, c. 15, Cyrill. in Iul. II, p. 48, Nemesius, de Nat. Hom. c. V, p. 126, Diog. Laërt. V, 32.

tentia: „Quintum genus, e quo essent astra mentesque, singulare, eorumque (elementorum) quattuor dissimile Aristoteles quiddam esse rebatur". Hinc quoque frustra interpretes Aristotelis loca quaesiverunt, quae cum Ciceronis locis compararent (1).

Idem affirmare cogimur de Aristotelis sententiis, quas Cicero attulit; de *mundo*, quem numquam ortum esse censet, „quod nulla fuerit, novo consilio inito, tam praeclari operis inceptio, et ita eum esse undique aptum, ut nulla vis tantos queat motus mutationemque moliri, nulla senectus diuturnitate temporum exsistere, ut hic ornatus umquam dilapsus occidat" (2); de *motu*: „Nec vero Aristoteles non laudandus in eo, quod omnia, quae moventur, aut natura moveri censuit aut vi aut voluntate: moveri autem solem et lunam et sidera omnia: quae autem natura moverentur, haec aut pondere deorsum aut levitate sublime ferri, quorum neutrum astris contingeret, propterea quod eorum motus in orbem circumque ferretur" (3); de *spatio*: „Nihil est, quod vacet corpore; cor-

---

(1) Cf. Krug, O. l. p. 247, 248. (2) Acad. II, 38. Vulgo interpretes afferunt Arist. de Coelo I, 10, 12, II, 1. (3) de N. D. II, 16. Davisius conferre praecipit Arist. de Coelo II, 8 et III, 2, Wyttenbachius, II, 12. Cff. Tenn. O. l. III, p. 172, 173, Stahr, II, p. 159, qui laudat Phys. V, 3, 9 et Krische, O. l. p. 286 sqq.

poribus autem omnis obsidetur locus; ita nullum inane, nihil esse individuum potest" (1); de *sideribus*, tanquam animantium sedibus (2): „Absurdum esse Aristoteli videtur, in ea parte, quae sit ad gignenda animalia aptissima, animal gigni nullum putare. Sidera autem aethereum locum obtinent; qui quoniam tenuissimus est, et semper agitatur, et viget, necesse est, quod animal in eo gignatur, id et sensu acerrimo, et mobilitate celerrima esse. Quare cum in aethere astra gignantur, consentaneum est, in iis sensum inesse et intelligentiam; ex quo efficitur, in deorum numero astra esse ducenda". Nec ideo contendam, Ciceronem Aristotelis physica scripta, libellum de Xenophane, Zenone et Gorgia, libros de anima legisse, quod etiam Anaxagorae de motu (3), Xenophanis de mente (4), Alcmaeo-

(1) de N. D. I, 23. Hunc locum, quem Aristotelis sententiam referre censet Wyttenbachius, ex Carneadis disputationibus fluxisse jam dudum monuit Davisius. Vulgo interpretes afferunt Arist. Phys. Ausc. IV, 6. (2) de N. D. II, 15, Wyttenbachius affert l. l. de Caelo. Cff. Stob. Ecl. Eth. I, p. 51, Plut. de Plac. Phil. II, 20, Stahr, II, p. 159, qui hunc locum a Cicerone ex Cleanthis scriptis ductum esse opinatur. (3) de N. D. I, 11. Cff. Arist. Phys. Ausc. VIII, 1, Simpl. in Arist. Phys. I, fol. p. 6. (4) de N. D. l. l. Cff. Arist. Met. I, 5, libellus de Xen., Zen. et Gorg. c. 1, Simpl. in Arist. Phys. l. l. et Menagius ad Diog. Laërt. IX, sect. 19.

nis de sole, luna reliquisque sideribus (1) sententiam retulerit.

Quum igitur Cicero, ex Aristotelis interioris doctrinae scriptis nullum locum uberius pertractans, una alterave sententia, saepe minime perspicua, acquieverit; hujus autem inscientiae, pro magno, quo ducebatur, gloriae studio, eum puderet, consulto elegantissima quadam comparatione ex uno alterove dialogo usus esse mihi videtur, qua illud vacuum compleret, et, prouti egregio fragmento ex Eudemo Aristotelis de animi humani conditione sententiam illustravit, ita hoc pulcerrimo loco (2) ejus de divina natura doctrinam quasi per transennam proponeret: „Praeclare ergo Aristoteles, *si essent*, inquit, *qui sub terra semper habitavissent bonis et illustribus domiciliis, quae essent ornata signis atque picturis instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exissent unquam supra terram, accepissent autem fama et auditione esse quoddam numen et vim deorum; deinde aliquo tempore, patefactis terrae faucibus, ex illis abditis sedibus evadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuissent: quum repente terram et maria caelumque vidissent; nubium magnitudi-*

(1) de N. D. I. 1. Cff. Arist. de Anim. I, 2, Wytt. Disp. de Plac. Imm. Anim. p. 13, Diog. Laërt. VIII, sect. 83. (2) Hunc locum Krische, O. 1. p. 17, etiam refert ad Aristotelis Eudemum.

nem ventorumque vim cognovissent adspexissent-que solem, ejusque tum magnitudinem pulcritudinemque, tum etiam efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret, toto caelo luce diffusa: cum autem terras nox opacasset, tum caelum totum cernerent, astris distinctum et ornatum, lunaeque luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis, eorumque omnium ortus et occasus atque in omni aeternitate ratos immutabilesque cursus: quae cum viderent, profecto et esse deos et haec tanta opera deorum esse arbitrarentur" (1).

Frustra etiam interpretes locum quaesiverunt, quo Aristoteles docuisset, ut Cicero libro primo (2) tradidit, Orpheum numquam poëtam fuisse: Stahrius (3), ut ceteros mittam, hunc locum ex Aristotelis libris hodie deperditis, vel περὶ ποιητῶν, vel περὶ φιλοσοφίας, ductum esse censet.

Incertis igitur missis, ea quae Cicero ex Aristotelis libris de historia animalium tradidit, unus-

(1) de N. D. II, 37. Cff. Sext. Empir. adv. Math. p. 311, 312, Dio Chrysost. Orat. XII, p. 201, Heusd. Char. p. 210 sqq., Stahr, A. b. d. R. p. 53 et Arist. II, p. 159, 160. (2) c. 38. Cff. Wytt. Bibl. Crit. II, II, p. 80 sqq., Clem. Alex. Strom. I, p. 244, Suidas voce Ὀρφεύς, Davisius, qui citat Arist. de Anima I, 5, p. 386 et Creuzer ad h. l. (3) II, p. 154 sq., notis 4 et 5, ut etiam A. b. d. R. p. 49.

quisque planiora esse libenter mihi concedet, quum ne Madvigius (1) quidem pleniorem horum librorum notitiam Ciceroni abjudicaverit; et omnino, si varia loca, quae ex iis Cicero excerpsit, inspicimus, eum Aristotelis multiplici scientia, egregiis animadversionibus, quae hos libros ornant, captum fuisse, fateamur necesse est. Ita in libris de Finibus (2): „Quam multa", inquit, „ab his (Peripateticis) conquisita et collecta sunt de omnium animantium genere, ortu, membris, aetatibus"! et alio loco (3): „At illa, quae in concha patula pinna dicitur; isque, qui enat e concha, qui, quod eam custodit, pinnoteres vocatur, in eamque quum se recepit, includitur, ut videatur monuisse, ut caveret"; in Tusculanis Quaestionibus (4): „Apud Hypanim fluvium, qui ab Europae parte in Pontum influit, Aristoteles ait, bestiolas quasdam

---

(1) Exc. VII, p. 860, de Fin. IV, 5, p. 502. (2) IV, 5. Cff. V, 4, disp. n. p. 20. (3) III, 19. Cff. de N. D. II, 48: „Pina vero (sic enim Graece dicitur), duabus grandibus patula conchis cum parva squilla quasi societatem coit comparandi cibi; itaque cum pisciculi parvi in concham hiantem innataverunt, tum admonita squillae pina morsu comprimit conchas", Arist. Hist. Anim. V, 15, p. 547, b. 27, Plinius, H. N. IX, 66, Plut. de Soll. Anim. c. 30, p. 980. (4) I, 39, Arist. H. A. V, 19, p. 552, b. 18. Wyttenbachius, in Ann. ad Plut. p. 111 C, hanc Aristotelis narrationem a Cicerone ex Crantoris libro ductam esse censet.

nasci, quae unum diem vivant". Maxime vero in libris de Natura Deorum, in quibus tota disquisitio libri secundi, a capite 48 ad 52, § 130, ex laudato Aristotelis opere sumta videtur; ex qua praecipua loca comparationis gratia afferre sufficiet; ut capite 49: „Legi etiam scriptum, esse avem quandam, quae Platalea nominaretur (1). — Eademque haec avis scribitur conchis se solere complere, easque quum stomachi calore concoxerit, evomere atque ita eligere ex iis, quae sunt esculenta (2). Ranae autem marinae dicuntur obruere sese arena solere et moveri prope aquam, ad quas quasi ad escam pisces quum accesserint, confici a ranis atque consumi (3). Milvo (4) est quoddam bellum quasi naturale cum corvo; ergo alter alterius ubicunque nactus est ova, frangit. Illud vero (5) ab Ari-

(1) Cff. Creuzerus, qui affert Arist. Mir. Ausc. c. 13 et Beckm. ad h. l. p. 38, Arist. H. A. VIII, 12, p. 597, a. 9, ubi haec avis πελεκάν dicitur. (2) Arist. H. A. IX, 10. Cf. Plin. H. N. X, 56. (3) Arist. l. l. c. 37 init. (4) Graece ἰκτῖνος vocatur. Cf. Arist. l. l. c. 1, p. 609, a. 21. (5) Cum priora etiam ex Aristotele ducta esse appareat, Cicero profecto voculae *vero* oppositionis vim tribuere non potuit; si igitur hunc locum integrum relinquere velimus, huic voci extollendi vim tribuamus necesse est. Quocirca vulgarem sic interpretor: Pleraque ab Aristotele animadversa; illud vero, de gruibus, ab eo animadversum, quis non miratur? Sed de h. l. consule Moserum in Edit.; cum quo tamen minime facere possum conjiciente voculam *non* ante *animadversum* esse inserendam; con-

stotele animadversum, a quo pleraque, quis potest non mirari? Grues, quum loca calidiora petentes maria transmittant, trianguli efficere formam" etc. (1); capite 50: „Quid ea, quae nuper, id est, paucis ante seculis medicorum ingeniis reperta sunt? vomitione canes, purgatione autem alvos ibes Aegyptiae curant. Auditum est pantheras, quae in barbaria venenata carne caperentur, remedium quoddam habere, quo quum essent usae, non morerentur (2); capras autem in Creta feras, quum essent confixae venenatis sagittis, herbam quaerere, quae dictamnus vocaretur, quam quum gustavissent, sagittas excidere dicunt e corpore (3). Cervaeque paullo ante partum perpurgant se quadam herbula, quae seselis dicitur (4). Jam illa cernimus, ut contra vim et metum suis se armis quaeque defendant. — Atramenti effusione sepiae (5), torpore torpedines" (6), et capite 52:

———

ita enim Davisii sententiam Ciceronem Aristotelis locum H. A. IX, 10 respexisse censeo; hic enim ipsa mentione τοῦ ἡγεμόνος et τῶν ἐπισυριττόντων ἐν τοῖς ἐσχάτοις trianguli formam, licet non nominatim, oblique saltem significasse videtur. (1) Conferri etiam potest Arist. H. A. VIII, 12, p. 597, a. 30 sqq. Vide Plut. de Soll. Anim. p. 967. (2) Arist., O. l. IX, 6. Cff. Plinius, VIII, 27, XXVII, 2, Aelianus de N. A. IV, 49. (3) Arist. l. l., Plin. VIII, 27, XXV, 8. (4) Arist. l. l. c. 5 init., Plin. VIII, 32, XV, 8. (5) Arist. IV, 1, p. 524, b. 17, IX, 37, p. 621, b. 28, Plin. IX, 27, Ael. I, 34, Wytt. ad Plut. de Sera Num. Vind. p. 112. (6) Graece νάρκη. Cff. Arist.

„Testudines autem et crocodilos dicunt, quum in terra partum ediderint, obruere ova, deinde discedere; ita et nascuntur et educantur ipsa per sese" (1). Ex iisdem Aristotelis libris Cicero ea quoque duxit, quae tradidit libro primo de Natura Deorum (2): „Sunt quaedam etiam, quae igni nasci putentur, appareantque in ardentibus fornacibus saepe volitantes"; quae libro secundo, de ordine et constitutione dentium (3), de intestinis eorumque diversis officiis (4).

Libri de Divinatione.

Cum profecto hi libri, ut jam monuerunt Tennemannus (5) et Kuehnerus (6), a Cicerone subtilissime et acutissime sint conscripti, dolendum est quam maxime, quae hac de re Aristoteles tradiderit fere omnia interiisse. Superest tamen fragmentum hujus operis περὶ τῆς καθ' ὕπνον μαντικῆς, ex quo apparet, eum divinationi ex somniis non magnam fidem habuisse; statuisse enim,

IX, 37 init., Plin. IX, 24, Ael. I, 36, IX, 14. (1) Arist. H. A. V, 33, qui tamen tradit testudines, ovis defossis, incubare noctibus. Cff. Plin. IX, 10 et quos laudat Creuzerus, Cic. l. l. (2) c. 37. Cff. Arist. lb. c. 19, p. 552, b. 10 sqq., Apulejus de deo Socr. p. 678 et quos laudat Creuzerus ad n. l. (3) c. 54. Cf. Arist. de Part. Anim. III, 1 init. (4) c. 55. Cf. Arist. lb. c. 7. (5) O. l. V, p. 121. (6) O. l. p. 56, 57.

somnia quidem esse *δαιμόνια*, a natura profecta, non vero *θεόπεμπτα*, eaque potius ab uniuscujusque corporis constitutione pendere (1). Videtur autem Aristoteles, non minus quam Cicero (2), cum de divina natura, tum maxime de divinatione, tam populariter quam philosophe esse locutus.

Quae Cicero refert libro primo (3): „Aristoteles quidem eos etiam, qui valetudinis vitio furerent et melancholici dicerentur, censebat habere aliquid in animis praesagiens atque divinum" et libro secundo (4): „Is (animus) cum languore

---

(1) c. 2. (2) Cff. loca quae attulit Kuehnerus, O. l. p. 203, nota 6 et p. 207 in nota. (3) c. 38. Cff. Tusc. I, 33: „Aristoteles quidem ait, omnes ingeniosos melancholicos esse. — Enumerat multos; idque quasi constet, rationem, cur ita fiat, affert", Arist. Probl. Λ, § 1, p. 954, a. 31: Ὅσοις λίαν πολλὴ καὶ θερμὴ (ἡ χολὴ ἡ μέλαινα), μανικοὶ καὶ εὐφυεῖς. — πολλοὶ δὲ καὶ διὰ τὸ ἐγγὺς εἶναι τοῦ νοεροῦ τόπου τὴν θερμότητα ταύτην νοσήμασιν ἁλίσκονται μανικοῖς ἢ ἐνθουσιαςικοῖς. Cf. etiam opus περὶ τῆς καθ' ὕπνον μαντικῆς, c. 2, p. 464, a. 32 sqq. (4) c. 62. Cf. Arist. περὶ ἐνυπνίων c. 3 init.: Οὐ μόνον ἐγρηγορότων αἱ κινήσεις αἱ ἀπὸ τῶν αἰσθημάτων γινόμεναι τῶν τε θύραθεν καὶ τῶν ἐκ τοῦ σώματος ἐνυπαρχουσῶν, ἀλλὰ καὶ ὅταν γένηται τὸ πάθος τοῦτο ὃ καλεῖται ὕπνος, καὶ μᾶλλον τότε φαίνονται. — p. 461, b. 21: Τούτων δὲ ἕκαςόν ἐςιν - ὑπόλειμμα τοῦ ἐν τῇ ἐνεργείᾳ αἰσθήματος. — p. 462, a. 29: Τὸ φάντασμα τὸ ἀπὸ τῆς κινήσεως τῶν αἰσθημάτων, ὅταν ἐν τῷ καθεύδειν ᾖ, ᾗ καθεύδει,

corporis nec membris uti nec sensibus potest, incidit in visa varia et incerta, ex reliquiis, ut ait Aristoteles, inhaerentibus earum rerum, quas vigilans gesserit aut cogitaverit. Quarum perturbatione mirabiles interdum exsistunt species somniorum". Ea Aristoteles, tam in Problematibus suis, quam in laudato fragmento et in libello περὶ ἐνυπνίων, tradidit.

Magni Ciceronem fecisse Aristotelis de somniis sententiam hoc egregio loco, quo fragmentum ex Eudemo latine expressisse videtur (1), satis apparet: „Quid? singulari vir ingenio Aristoteles, et paene divino, ipsene errat, an alios vult errare? quum scribit, Eudemum Cyprium, familiarem suum, iter in Macedoniam facientem Pheras venisse; — in eo igitur oppido ita graviter aegrum Eudemum fuisse, ut omnes medici diffiderent: ei visum in quiete egregia facie juvenem dicere, fore, ut perbrevi convalesceret; paucisque diebus interiturum Alexandrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio post domum

---

τοῦτ' ἐςὶν ἐνύπνιον, Probl. Λ, § 14. Coll. Stahrio, II, p. 158. Quia problemata totius Aristoteliae doctrinae quasi brevem conspectum praebent, valde quaeritur, utrum Aristotelis an epitomatoris cujusdam sint dicenda; ceterum Stahrio, statuenti haec a Cicerone lecta fuisse, non repugno. (1) A. C. van Heusde, O. l. p. 39, nota 1, hunc locum ex Aristotelis opere περὶ τῆς καθ' ὕπνον μαντικῆς, c. 2, excidisse opinatur.

esse rediturum. Atque ita quidem prima statim scribit Aristoteles consecuta, et convaluisse Eudemum, et ab uxoris fratribus interfectum tyrannum; quinto autem anno exeunte, quum esset spes ex illo somnio, in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, proeliantem eum ad Syracusas occidisse: ex quo ita illud somnium esse interpretatum, ut, quum animus Eudemi e corpore excesserit, tum domum revertisse videatur" (1). Ab Aristotele quoque, et quidem ex ejus libris Politicis (2), Cicero (3), exemplum repetiit, quo sententiam suam viros in re publica exercitatos prudentes quidem, divinos vero nullo modo, dici posse, magis confirmaret; Thales enim Milesius, inquit, „ut objurgatores suos convinceret, ostenderetque etiam philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse, omnem oleam, antequam florere coepisset, in agro Milesio coëmisse dicitur".

Improbantur imprimis a Peripateticis artificiosa divinandi genera, quae aut conjectura explicantur, aut eventis animadversa et notata sunt (4); hanc quoque sententiam secutus Cicero: „Restant duo", inquit (5), „divinandi genera, quae habere dicimur a natura, non ab arte; vaticinandi, et somniandi".

---

(1) I, 25. Cff. Plut. in vita Dionis, c. 22, p. 967 C. Ed. Crus., Fabr. Bibl. Graeca, II, p. 190, Krische, O. l. p. 15, 16 et disp. n. p. 81 sq., 185 sqq. (2) I, 11. (3) I, 49. (4) I, 33. (5) II, 48.

De Fato.

„Aristoteles", ut ait Robertellus (1), „fatum numquam in sua philosophia cencessit". Cum hac vero sententia et cum iis, quae supra jam monui de vi ἐνεργείας et προαιρέσεως in Aristotelis doctrina morali (2), pugnat Ciceronis locus, quem, quamvis infelici successu, variis modis tentarunt interpretes: „Ac mihi quidem videtur, quum duae sententiae fuissent veterum philosophorum, una eorum, qui censerent omnia ita fato fieri, ut id fatum vim necessitatis afferret; in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit; altera eorum, quibus viderentur sine ullo fato esse animorum motus voluntarii" (3).

Turnebus, qui vulgatam tuetur, in commentario suo ad hunc locum: „In Acroamaticis", inquit, „semper fatum oppugnat Aristoteles; sed in Exotericis, ut opinor, etiam fatum posuerat, velut in libro de Mundo c. VII, p. 378"; at vero hic liber non Aristoteli, sed interpreti recen-

---

(1) Comm. ad Arist. Poët. p. 86. Cff. D. C. Pleyte, Praec. Plac. Vet. Phil. de Lib. Mor. p. 39 sq. et 43 sqq., ibique laudatus Bluemnerus, über die Idee des Schiksals in den Tragoediën des Aeschylos, p. 169. (2) disp. n. p. 174 et 177. (3) c. 17, coll. Davisio ad h. l., qui citat auctorem vitae Homericae, in Opusc. Galean. p. 336: Ἡγεῖται Ἀριςοτέλης οὐ πάντα καθ' εἱμαρμένην παραγίνεσθαι, ἀλλά τι καὶ ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις εἶναι, ὧν ὑπάρχειν μὲν τὸ ἑκούσιον.

tioris demum aetatis adscribendus videtur (1). Vir Cl. Karsten (2) pro voce Aristoteles, Anaxagoras legendum censet. Ab utriusque autem sententia modeste dissentire liceat, et, nisi statuamus, Ciceronem Aristotelis de fato sententiam prorsus ignorasse, videamus, levine quadam immutatione vocumque translatione controversias de hoc loco dirimere, et, nisi genuinam lectionem, Ciceronis tamen mentem, repraesentare possimus, legentes: „in qua — Empedocles fuit: Aristotelis altera", vel quod malim: *in* altera Aristoteles, eorum etc.; facile enim vox *in* librariorum incuria in vocem *fuit* contrahi potuit; quod eo probabilius, quoniam ex hujus loci contextu dubium fit, utrum vox *in* reponenda videatur, nec ne. Praeterea mirum foret, Ciceronem cum unius, mediae quoque, sententiae coryphaeos attulerit, in medio relicturum fuisse, quinam alterius patrocinium suscepissent.

Etsi ex hoc fragmento efficere non liceat, Ciceronem ex Aristotele, nisi fortassis quaedam loca ex libro περὶ ἑρμενείας (3) excipias (4), in

(1) Cff. disp. n. p. 191, nota 1 et Fabr. Bibl. Graeca, III, p. 127. (2) Phil. Graec. rel. II, p. 361, n. 147. (3) Hunc librum Aristotelis esse negavit Andronicus Rhodius; ejus vero auctoritatem tuitus est Alexander Aphrodisiensis. Cff. quos laudat Ritter, O. l. III, p. 40 in nota, coll. Brandis, Rhein. Mus. I, IV, p. 264 in nota. (4) Interpretes vulgo

hoc libro conscribendo profecisse; hoc tamen, utrumque fatum rejicisse, satis constat (1).

Incerta quaedam fragmenta ex Aristotelis scriptis.

Absolutum propositum munus esse videretur, nisi nonnulla Aristotelis fragmenta a Cicerone in scriptis suis conspersa, hîc etiam locum suum postularent.

In libris de Officiis (2) fragmentum exstat ex deperdito, ut videtur, opere exoterico (3): „Quanto", ait Cicero, „Aristoteles (4) gravius, et verius nos reprehendit, qui has pecuniarum effusiones non admiremur, quae fiunt ad multitudinem deleniendam". Quibus haec Aristotelis verba subsequuntur:

---

conferunt c. 1, a verbis: „explicanda — appellant", cum Aristotelis c. 12 init. σκεπτέον — ἀπορίας τινάς; c. 3: „quaero — referatur", cum c. 9, p. 18, b. 5 sqq.: οὐδὲν — ἅπαντα, et c. 13: „Recte — actio" cum c. 9, p. 18, b. 27 sqq. εἴπερ — πραγματεύεσθαι. (1) Cff. Bremi, p. 1 et 2, Kuehner, O. l. p. 59 et 208—210, Tenn. O. l. III, p. 155 sqq., V, p. 125, ut etiam Arist. Nic. II, 4, III, 1, 3, 4, VI, 2, M. M. I, 17, Eud. II, 1, 6—10. (2) II, 16. (3) Cf. Orellius ad h. l., qui totius hujus sententiae conformationem magnam similitudinem habere censet cum Aristotelis illis de N. D. II, 37 et in Hort. Fragm. N°. 70. (4) Temere, ut Wyttenbachius jam monuit, Muretus et Heusingerus Minor h. l. vocem Aristo reponendam esse duxerunt, nec majore jure Beierus in editione scripsit Aristo Ceus.

„At ii, qui ab hoste obsidentur, si emere aquae sextarium cogantur mina, hoc primo auditu incredibile nobis videri omnesque mirari; sed, quum attenderint, veniam necessitati dare: in his immanibus jacturis infinitisque sumptibus nihil nos magno opere mirari, quum praesertim neque necessitati subveniatur nec dignitas augeatur ipsaque illa delectatio multitudinis sit ad breve exiguumque tempus, eaque a levissimo quoque, in quo tamen ipso una cum satietate memoria quoque moriatur voluptatis. Bene etiam colligit, *haec pueris et mulierculis et servis et servorum simillimis liberis esse grata: gravi vero homini et ea, quae fiunt, judicio certo ponderanti probari posse nullo modo".*

Quamvis pauca tantum ex Ciceronis Hortensio fragmenta supersint, duobus tamen, quae arctissime invicem cohaerent (1), Aristotelis ex Eudemo locum (2) significasse videtur; quorum alterum servatum ab Augustino (3), qui: „Nam quum Cicero", ait, „in extremis partibus Hortensii dialogi multa, quae videmus et gemimus,

(1) Ut jam monuit Beierus, Fragm. Orat. p. 149. (2) Krischius, O. l. p. 16, satis probabiliter conjecisse mihi videtur hunc locum cum fragmento apud Plutarchum, Cons. ad Apoll. c. 27, p. 115 B, arctissime cohaerere. Cf. disp. n. p. 81 sq. (3) Contra Julian. Pelag. IV, c. 15, Tom. VII, p. 1058 (Tom. X, p. 623. Bened.), Orell. Opp. IV, II, p. 485 sq.

de hominum vanitate atque infelicitate dixisset, ex quibus humanae, inquit, vitae erroribus, et aerumnis fit, ut interdum veteres illi sive vates sive in sacris initiisque tradendis divinae mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore, poenarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur, verumque sit illud, quod est apud Aristotelem, simili nos affectos esse supplicio, atque eos, qui quondam, quum in praedonum Etruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur: quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis accommodata, quam aptissime colligabantur: sic nostros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis esse conjunctos". A Nonio (1) alterum: „Vidit enim, quod videndum fuit, appendicem animi esse corpus, nihilque esse in eo magnum".

His pro viribus respondisse mihi videor ad quaestionem, a Nobilissima hujus Academiae Facultate Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum ad annum MDCCCXL propositam: *Quid maxime* Cicero Aristoteli *in Philosophia tractanda colendisque literis debuerit.* In quibus dijudicandis LL. B. ne ad

(1) voce Appendix p. 42.

amussim omnia exigatis; multa desunt, fateor, multa etiam, quae Vir doctrinae copia completus atque excultus accurate exposuisset; juvenilis vero mea aetas, in literis atque doctrinis quasi hospes nec satis versata, leviter tantum attigit. Quod vero animo non desponderem, exin maxime factum esse arbitror, quod, hac maxime disquisitione diem diem docere edoctus, verissimum quidem hoc philosophorum dictum existimarem: *critica veri obrussa est;* illud vero simul experientiae foetum dicendum esse confiderem; quam experientiam si modo assequi potuissem, minus latam fortassis stragem subtimide exspectarem, tamque imperfectum opus prodere coactus non fuissem. Unum tantum credo me jure petere posse, investigandi ardorem in his studiorum meorum primordiis ne spernatis, et, si forte in hac disquisitione, in qua critices praeceptorum observantiam summi momenti esse duxi, in summorum adeo Virorum sententias nimis vehementer invectus esse videar, non partium, non vanae arrogantiae, non argutiarum, sed unice veritatis sive verae critices studio me fuisse ductum, Platonis (1) sententiae: Ἀλήθεια δή, πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται, πάντων δὲ ἀνθρώποις, haud immemorem, Vobis persuasum habeatis velim.

---

(1) de Legg. V, p. 605, F. Ed. Fic.

QUAESTIONES.

I.

Cicero, *ut in sententiis magis* Platonis, *ita in disputatione ac dialogo* Aristotelis *studium prodit.*

II.

Epistola Aristotelis *ad* Alexandrum *apud* Gellium, N. A. XX, 5, *licet de ejus auctoritate jure dubitetur, ad indolem tamen illius scriptorum* ἀκροατικῶν *cognoscendam plurimum confert.*

III.

Aristoteliorum *librorum descriptionem non ab ipso, sed ab ejus interpretibus profectam esse, ex antiquorum dissensu probabili conjecturā assequi licet.*

IV.

Contra sententiam Krischii, Forschungen aus dem Gebiete der Philosophie, p. 12 sqq., Ciceronem *existimo* Aristotelio *more potissimum spectasse* τὸ διαπορῆσαι καλῶς, rationem in utramque partem disputandi.

V.

Nec minus a Viro Cl. hac in parte dissentio, quod a Cicerone *duplicem* Aristotelium *morem in scriptis suis expressum esse mihi persuasum habeo.*

VI.

Strabonis, Lib. XIII, p. 608, 609 (p. 906. Ed. Almelov.), *narratio de* Aristotelis *scriptorum fatis, licet ex parte ficta, non tamen tota rejicienda videtur.*

VII.

Ciceronis *dubitationem*, Lib. V, c. 5 de Finibus, *utrum* Aristotelis *an ejus filii* Nicomachea *habenda sint, minime improbandam esse statuo.*

VIII.

A Zellii *et* Madvigii *sententia*, Ciceronem *in* Laelio *ex* Aristotelis Nicomacheis *non profecisse judicantium, recedendum duco.*

IX.

Practicam Aristoteliae *philosophiae partem* Ciceronem *optime perceptam habuisse, theoreticam vero, e posteriorum maxime scriptis, tantum delibasse, affirmare mihi posse videor.*

X.

Cernitur in Aristotelis, *non minus quam in* Ciceronis, *scriptis summa doctrinae politicae cum morali conjunctio.*

XI.

Non assentior Madvigio, Excursu IV ad libros de Finibus, *statuenti*, Naturae Prima *ab* Aristotelis *doctrina aliena fuisse.*

XII.

T. Pomponium Atticum Ciceroni *ad* Aristotelium *morem percipiendum plurimum adjumenti attulisse contendimus.*

XIII.

Acute de Ciceronis *in philosophiam meritis judicavit* Tennemannus, Gesch. der Phil., Tom. V, p. 118: „Allein Cicero glich hier einem Arzte, der die Gebrechen siehet, aber die Ursachen derselben nicht entdeckt, und daher keine Heilmittel vorschlagen kann. Er begnügte sich, den wissenschaftlichen Zustand der

Philosophie, und das unmittelbar daraus fliessende Resultat dargelegt zu haben, dass die Ansprüche der menschlichen Vernunft auf das Wissen und Erkennen der Dinge noch unentschieden sind, dass man so lange mit Wahrscheinlichkeit, welche für die technischen und praktischen Zwecke des Menschen zureicht, sich begnügen müsse".

XIV.

Merito Garvius, die Ethik des Arist., Vol. I, p. 601: „In den Römischen Philosophen ist mehr Methode, als in den Griechischen. Kein so vollkommnes System der Moral, als die Plichten des Cicero; obgleich dieser aus den Griechen alles geschöpft hat".

XV.

Vere Plutarchus *de* Antonio, in vita c. 4, *hoc judicium tulit:* Ἡ ἐλευθεριότης, καὶ τὸ μηδὲν ὀλίγῃ χειρί, μηδὲ φειδομένῃ, χαρίζεσθαι στρατιώταις καὶ φίλοις, ἀρχήν τε λαμπρὰν ἐπὶ τὴν ἰσχὺν αὐτῷ παρέσχε, καὶ μεγάλου γενομένου τὴν δύναμιν ἐπὶ πλεῖον ἐπῆρεν, ἐκ μυρίων ἄλλων ἁμαρτημάτων ἀνατρεπομένην.

XVI.

Minus aeque judicant, qui Epist. 1, Lib. II, *ab* Augusto, *querente sermones sibi non fuisse dedicatos, extortam fuisse* Horatio *credant.*

XVII.

De Italia, Hispania, Lusitania recte monuit Heerenus, kl. hist. Schriften, Tom. I, p. 79: „Es lag nicht in dem Verbot und den Anstalten der Regierungen, es lag in dem Charakter der Nationen, wenn die Reformation in jene Länder keinen Eingang fand".

XVIII.

Rerum publicarum naturae consentanea sunt haec Montesquivii *dicta*, de l'Esprit des Lois, VIII, 16, XI, 19: „Il est de la nature d'une république qu'elle n'ait qu'un petit territoire; sans cela elle ne peut guère subsister". — „Une république qui conquiert ne peut guère communiquer son gouvernement et régir l'état conquis selon la forme de sa constitution".

XIX.

Si Romanos cum Graecis compararemus, verum videtur Ciceronis *dictum*, Tusc. I, 1: „Mores et instituta vitae, resque domesticas ac familiares nos profecto et melius tuemur et lautius (quam Graeci)".

XX.

Solonis σεισάχθειαν non, ut multi volunt, usurarum remissionem, sed potius debitorum abolitionem habendam esse censemus.

ERRATA.

p. 4 l. 10 dijucandis	l. dijudicandis
— 5 —— quam	- quot
— 6 l. 19 ἐκδεδόμενοι	- ἐκδεδομένοι
— 7 - 7 sqq. ἐξωτερικὰ — re-liquerunt	- ἐξωτερικὸν — relique-runt"
— 8 - 4 (2),	- (2);
— 9 - 8 ραθυμοτέρους — παρὸ	- ῥαθυμοτέρους — παρ'
— - in not. l. 6 γάρ	- γάρ
— 10 —— - 3 ὥςεἦν	- ὥςε ἦν
— 11 l. 13 opere de cujus	- de cujus operis
— 14 in not. l. 10 intercalata	- interpolata
— 18 —— - 1 (3)	- (1)
— 20 l. ult. ʇue	- que
— 22 - penult. ut — utar,	- ut ait Cicero,
— 37 in not. l. 7 γεγραμμένα	- γεγραμμένα
— — — — - ult. ἀποτρέχοντας	- ἀποτρέχοντας
— 45 —— - 3 Ἀριςτοτελικῶν	- Ἀριςοτελικῶν
— 46 l. 22 et 23 deleatur vocula pro	
— 48 - 5 novum suum	l. novam suam
— — - 8 Platonis que	- Platonisque
— 54 in not. l. 2 ἐπιςῆμας	- ἐπιςήμας
— — — — - 3 οὐδε	- οὐδὲ
— 56 —— - ult. I,	- I
— 58 l. 4 posita	- positas
— 60 - 13 deleatur vox secum	
— 64 in not. l. ult. contendit.	- contendit."
— 66 l. 1 summum	- arctissimum
— 72 - 2 μελλοντῶν	- μελλόντων
— 79 - penult. Republica	- Re publica
— 80 - ult. Πλατονικῶν	- Πλατωνικῶν
— 81 - 2 ὀμοῦ	- ὁμοῦ

p. 81 l. 6 τοῖς	l. ταῖς
— — - 7 videor	- videtur
— — - 8 sq. rationem — proxime ad	l. ad rationem — proxime
— — in not. Vol. II,	l. p. 115 B., Wytt. Ed. Vol. VI,
— 82 l. 2 ἔςι	- ἐςι
— — - 12 ἀρειον	- ἄρειον
— — - 14 et 16 γίνεϑαι	- γενέσθαι
— — - 14 post γενέσθαι deleatur interpunctio	
— — - 21 εὐγένειας	l. εὐγενείας
— 83 - 13 καλόν	- καλὸν
— — - 14 et 17 π[illegible]ύ	- πάνυ
— 87 in not. l. 12 ἀμφοτερων	- ἀμφοτέρων
— 91 — — - 3 φιλονεικώτερον	- φιλονεικότερον
— 108 — — - 8 βαρβάροις	- βαρβάρους
— 109 — — - 1 Stahr,	- Stahr, II,
— 118 l. 3 Phalerii	- Phalerei
— 123 in not. l. 5. F. Neuman	- C. F. Neumann
— 153 l. 22 serpiternam	- sempiternam
— 160 - 19 autem	- autem,
— 163 in not. l. 3 potuerit	- potuerit,
— 164 l. 14 bones	- bonos
— 165 - 1 enim	- enim,
— 169 - 4 voluit.	- voluit:
— 172 - 3 veteram	- veterem
— 179 in not. l. 7 αἰ	- αἱ
— 186 — — - 19 ζώου	- ζῴου
— 201 — — penult. ὑπνον	- ὕπνον
— 203 l. 2 cencessit	- concessit

Obiter monendum esse duco, ubique, si postremam partem excipias, a typographo pro σθ simplex ϑ positum esse; ut p. 9 in nota, ἴϑι pro ἴσθι, p. 10 in nota, ἔντοϑεν pro ἔντοσθεν, p. 11 in nota, λέγεϑαι pro λέγεσθαι.

C. C. B. L.